POLONÆ GENTIS
RELIGIO,

Ejuſque intemerata erga Apoſtolicam
Sedem obſervantia,

ADVERSŪS

PSEUDO-POLONI
EQUITIS

EPISTOLAM, INSCRIPTAM,

De Poteſtate Pontificis Romani, & ejus decreto
adversûs Primatem, & Epiſcopos Regni
Poloniæ Senatores.

VINDICATA

A FR. JOSEPH MARIA
PERRIMEZZI,

ORDINIS MINIMORUM S. FRANCISCI DE PAULA,

Sanctiſſimi Domini noſtri Prælato domeſtico, ac pontificio
Solio Epiſcopo aſſiſtente, Dei & Apoſtolicę Sedis gratiâ
Sanctæ Oppidenſis Eccleſiæ Epiſcopo.

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

BENEDICTUM XIII.
PONT. OPT. MAX.

ROMÆ, MDCCXXVII.

Ex Typographia Komarek in Via Cursûs.)(*Sup. Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM

BENEDICTUM XIII.

PONT. OPT. MAX.

AUCTOR.

SAcerdotvm *jura, quæ caducæ fidei homo nititur malis artibus perturbare, & quæ nos ab ejuſdem impoſturis, quantùm pro viribus licet,*

 vin-

Digitized by Google

vindicamus, Tibi, SANCTISSIME PATER, qui Sacerdotum es Princeps, fidenter offerimus, atque humillimè dedicamus. Cui enim alteri, quàm Tibi, Sacerdotium magis cordi eſt, cùm illius honores, ut in aliis venerari præ cunctis ſoleas, ita & ejuſdem onera in Teipſo ſubire ſupra cæteros operosè contendas? Adeo Sacerdotium imples, ut Imperium Tibi adimplendum ſupereſſe non ſentias; quòd profectò nobis ſic inuſitatum accidit, ut humilitatem gradûs, in quo emines, non dignitatem, Te ſolùm amplexari velle, demiremur. Non unius Sacerdotis munus infaticabili opere ſuſcipis, ſed ſingulorum munia Sacerdotum in Te ſolo adimplenda complecteris; quòd ſanè, abſque miraculi adjutorio adinvenire poſſe, nullus hominum arbitratur. Cùm autem pro

Te

Digitized by Google

Te ipſo Sacerdotii laborioſam operam eligas, præſtantiſſimam in aliis ſuſtines celſitudinem; & ita ſuſtines, ut nihil Tibi antiquius fuerit, quàm Sacerdotibus, præſertim in Eccleſia magnis, honorem deferre, & ab aliis deferendum eſſe, curare; iiſdem jura non lædere, & contra quoſcunque, qui eadem offendere tentabant, ſarta tecta ſervare.

Pontificiam Majeſtatem, quam in tuo apoſtolico ſolio catholicus Orbis veneratur, ab heterodoxo Scriptore, fœdo calamo, deturpatam, & a nobis, ſacræ antiquitatis exemplo, vetuſtiorum Patrum teſtimonio, ac perſpicuarum rationum momentis, ſi opus deſiderio reſpondeat, reſtitutam, Tibi, qui inter Pontifices ſummos, quâ pietate, quâ doctrinâ, quâ prudentiâ, excellis, venerabundi ſiſtimus, ac ſub-

miſſo

miſſo poplite conſecramus. In Te nanque, non ſoli orthodoxi Principes, verùm quoque acatholici Populi, eandem, ut admiratione ſuſpiciunt, ita & honore proſequuntur; cùm in Te virtutes illas inveniant omnes, quæ tantæ majeſtati ſint pares; quemadmodum in electione tua tot merita ſuſpexerunt, quot ſatis erant, ut Electo juſtitia, non affectio, electio diceretur. Dignus enim eras, ut eligereris, vel ex eo maximè, quod electioni obſtinatè reluctabas; & quando omnium vota in Te uno conveniebant, Tu ſolus communi acclamationi adverſabaris. Et hoc quidem evidens argumentum erat venerationis tuæ erga maximam dignitatem, quod Te imparem ad eam pro merito ſuſtinendam judicabas; ac proinde tunc magis eam æſtimabas, quando illam a Te lacrymis tuis, ac pro-

precibus, immo & querelis de aliis, & de Te *contumeliis etiam, quàm longè avertere nitebaris.*

Demum CLEMENTIS XI., *inclyti Prædeceſſoris tui, ac benigniſſimi Benefactoris noſtri, famam, ab audaciſſimo Impoſtore iniquiſſimis tenebris offuſam, & a nobis meridianâ luce clarioribus factis illuſtratam,* Tibi, *qui memoriam illius, quà eloquio, quà opere, adeo honeſtas, ut ejuſdem regimen* Tibi *in multis velut exemplar proponere non dedigneris, deferimus, ut protegas, inſcribimus, ut propugnes. Etſi enim Maximi Pontificis, ac Optimi Principis, præclarè geſta erga Polonorum Rempublicam, contra impudentiſſimi accuſatoris calumnias, Poloni ipſi ſuſtinuerint; potiori tamen jure convenit* Tibi *eadem tutari, cùm parem cum illo habeas di-*

dignitatem, & majorem præ cæteris exerceas poteſtatem. Quòd apud CLEMENTEM *ipſum*, BEATISSIME PATER, *magno ſemper in loco* Tu *feceris, hoc quidem gratiſſimi animi tui benevolentiam, ad opuſculum hoc defendendum, vel maximè etiam conciliabit.* Norunt *quippe omnes, qui* Te *norunt, propenſionem tuam cuicunque gratificandi, a quo, vel minimum receperis officium, vel qualemcunque amorem reportaveris.*

Si autem comperies, quòd in Auguſti, Polonorum Regis, agenda cauſſa ſtudia noſtra quòquo modo conferimus; ejuſdem cauſæ Tu, *qui Auguſto in primis charus eſſe noſceris, quum propter auguſtiſſimi animi tui decora, tum propter regii ſanguinis tui merita, major omnium debes eſſe patronus. Ab illo enim ſacris donis ſalutatus,*

Digitized by Google

illum viciſſim paterno amore complexus, in regali filio pretioſis muneribus affeciſti; enſe nimirum, quem, ad debellandos fidei hoſtes, ſtrenuè tractaret, & cruce, quâ in catholica religione profitenda, ubique gentium gloriaretur. Et quòd pluris eſt, Patri, & Filio, potentiſſimis æquè ac pientiſſimis, feſtinam operam ſi demandas, ut in hæreditariis provinciis orthodoxam fidem, quam ſub Prædeceſſore CLEMENTE *excitare inceperunt, ſub ſanctiſſimis auſpiciis tuis impigrè dilatare proſequantur; illos imperio tuo obſequi lætanter audis, & obedientiæ pignora Tibi in dies ſuſcipis offerentes.*

Si denique hìc offendes, inclytæ Polonorum Reipublicæ religionem, ejuſdemque intemeratam erga apoſtolicam Sedem obſervantiam, ab impudentiſ-

ſimi deceptoris artibus obtectam, univerſarum gentium oculis nos exponere; hanc pariter Tu, BEATISSIME PATER, *qui Polonici Regni jura in apoſtolicæ tutelæ præſidium recepiſti, non minori habes benevolentiæ affectu incolumem, tutamque, ſervare. Gens enim illa eſt, quam Prædeceſſores tui peculiari amoris pignore quovis tempore honeſtarunt; & a qua iidem, præ cunctis gentibus, continua obedientiæ, fidelitatis, & obſervantiæ, ſpecimina receperunt.*

Quaqua versùs igitur exiguum hunc laborem noſtrum inſpicies, cuncta, quæ complectitur, ad Te unum quàm maximè ſpectare, deprehendes. Quæ cùm ita ſe habeant, conſilium noſtrum neminem gentium reprobaturum ſperamus, quod Tibi in primis, Auguſto Regi deinde, opuſculum hoc in-

intenderimus conſecrare. Auguſto quidem, tanquam illi, qui idem valet ac habet contra quorumcumque, ſive occultas adulantium technas, ſive manifeſtas invidorum contradictiones, potentiæ ſuæ brachio tegere, atque munire: Tibi verò, qui auctoritate, quam a Deo ſupra univerſum catholicum orbem accepiſti, cunctos debes, qui catholicè ſcribunt, amplecti, atque fovere; qui, virtute, quâ ſupremam utique auctoritatem exornas, illos ſoles, qui apoſtolicæ Sedi calamum devoverunt, peramanter excipere, atque defendere; qui demum, ſolidæ probitatis famâ, quâ in tota Eccleſia adoraris, laborem noſtrum Auguſto Regi acceptum reddere non renues, Polonis populis jucundum, cunctiſque gentibus commendatum.

Digitized by Google

AUGUSTO II.
A SAXONIA
POLONIÆ REGI
POTENTISSIMO.

AUCTOR.

LIBERAM Rempublicam, ab extero milite vexatam, tuum quidem eſt, REX POTENTISSIME, defendere: Catholicam Rempublicam, ab heterodoxo ſcriptore tra-

Digitized by Google

traductam, benignè quidem feres, quòd noſtrûm eſſe duxerimus, vindicare. Erunt profectò Tibi in florentiſſimo regno tuo, omni liberali doctrinâ ornati viri, ac potiſſimùm ab eccleſiaſticæ eruditionis copiis paratiſſimi, qui pro Patria, ac pro Patriç religione ac fama, adeo fortiter feliciterque calamum admovere norunt, ut cæteri gladium pro Patria, & pro Patriæ libertate ac imperio, quovis tempore tractare conſueverunt. At non ideo nobis interdicendum fore credidimus, Polonis tuis manus noſtras adjungere, ut collatis calamis, parem cauſam ſuſtinentes, & peculiarem polonici regni famam, & præcipuam apoſtolicæ Sedis majeſtatem, contra Pſeudo-Poloni Equitis larvas, propugnaremus.

Eô nanque deducta res eſt, ut chriſtianiſſimæ Reipublicæ decora adeo cum ſupremi in Eccleſia principatûs juribus copulentur, quòd quemadmodum qui hæc peſſundare conatur, & illa quoque oporteat labefactare; ita & qui illorum ſe vult face-

Digitized by Google

facere defenſorem, horum etiam neceſſe ſit vindicem ſe oſtendere. Cùm autem Polonorum Reſpublica, Te, REX SERENISSIME, æternæ ſapientiæ conſilio, nacta ſit Moderatorem, quem primitus romana Fides, divinæ gratiæ operante virtute, propugnatorem acquiſierat, uno eodemque tempore, cùm Tibi infenſiſſimos reputare habeas, qui ſunt reipublicæ & religionis hoſtes, illos quoque patrocinio tuo jure merito honeſtas, qui rempublicam, & religionem, contra perturbatores quoſque defendunt.

Verùm, quod magis eſt, iidem ſunt, qui electionis tuæ merita evellere nituntur, & qui pontificiæ poteſtatis jura perturbant: Ad quod utrumque, non ſine ſaltem temeritatis ſpecie conficiendum, poloni nominis larvâ utuntur, ut polonæ genti, fideliſſimæ in primis, ac pientiſſimæ, nefario impudentique auſu imponant, quæ ab iis tantùm ſcribi evulgarique potuerunt, qui jam a Principis, & a Sacerdotis fide defeciſſent. Hos ergo, ut roma-

Digitized by Google

romani, ita & polonici nominis inimicos, quamvis & Romanorum religionem jactent, & Polonorum præſeferant libertatem, Tu, Rex Augustissime, armis retundes, nos calamo profligabimus: Ita tamen quòd ſicut arma tua, quę patriæ tuendæ devoviſti, religionis etiam conſecras incrementis; ita & ſtylum noſtrum, quem præ cunctis apoſtolicæ Sedis obſequio devinximus, polonicæ quoque reipublicæ devovemus.

Hinc laborem hunc qualemcunque noſtrum, quem tuo nomini, meritiſque tuis, haud temerè inſcribendum putavimus, ſi Tu, Rex Potentissime, non offenſus excipies, illumque patrocinio amoris tui honeſtare non dedignaberis, tuus evadet enſis calamus noſter, quemadmodum enſis tuus calamus noſter erit. Tuus quidem hic obſequii lege, noſter autem iſte patrocinii jure; quibus uno tempore Tu ſcribenda facies, nos facta ſcribemus. Utriuſque autem noſtrûm eô ſemper vires collimabunt, ut Dei omnipotentis glo-

riam,

Digitized by Google

riam, in Petri cathedrâ promovendam, ſtrenuis ac fidelibus populis tuis, incitamento ſimul & exemplo, proponamus, propoſitamque, cuſtodiamus.

OPERIS RATIO
LECTORIBUS
AB AUCTORE PROPONITUR.

PLURIBUS ab hinc annis, inter hiſtoricas epiſtolas, quę Hagę Comitum quolibet menſe prodeuntes, ea omnia, quæ in Europę regionibus accidunt, quaſi menſtrualibus diariis, curioſis hominibus manifeſtant, ubi de Poloniæ rebus agebatur, epiſtola apparuit, ſub Poloni Equitis nomine, quæ romani Pontificis poteſtatem peſſimè habens, ſanctiſſimi etiam Pontificis CLEMENTIS XI. geſta erga Polonorum Rempublicam iniquiſſimè criminabatur. Titulus Epiſtolæ hic erat: *Equitis Poloni Epiſtola, de Poteſtate Pontificis Romani, & ejus decreto adverſùs Primatem, & Epiſcopos, Regni Poloniæ Senatores*. Ægrè quidem tulerunt omnes ſomnia & inania prorſus mendacia, quæ ut hiſtoricæ veritatis monumenta obtrudere, ac vendicare, ſimplicibus audebat nebulo, ſolâ fallendi arte peritus; acriterque omnes lamentabantur, & ſanctiſſimum CLEMENTEM, & verè catholicam Rempublicam adeo fœdiſſima impoſturâ a peſſimæ

fidei

Digitized by Google

fidei homine traduci, ut parum abfuerit, quin ſaltem puſillis fucum facere obtinuerit.

Profectò, quod judicium polona Gens de Epiſtola illa fecerit, didicimus ex hebdomaticis etiam Commentariis, quæ Fulginei prodeunt; in quibus, ubi de Verſavia agebatur, hæc legimus: *Giunſe quì alli cinque il Re Auguſto, preceduto dalla ſua Corte, e paſsò ad alloggiaré nel Caſtello, e poco dopo arrivò il Generale Schulemburgh per conferire con Sua Maeſtà; e fratanto li Moſcoviti con altre truppe reſtano alloggiate ne' ſubborghi di queſta Città, nella quale ſono ſtati condotti molti prigionieri del partito contrario, e tra eſſi il Signor Vrbanuſchi, Segretario della Confederazione del Palatinato di Varſavia con tutte le Scritture trovategli, e fra eſſe certa lettera contraria alla Fede Cattolica; ed jeri l'altro ſopra un Palco fu abbruciato un Libello per mano del Boja, intitolato*: Epiſtola Equitis Poloni, *contro la Fede Cattolica, e la Santa Sede*.

Non abſimiliter cæterl omnes Catholici erga perditæ opinionis Auctorem indignati ſunt, eunque accuſare non deſtiterunt nullius fidei, & maximæ impietatis; vel aulicis imbutus moribus ea ſcripſerit, quæ catholicæ veritatis hoſtibus arridere tantummodo poterant,

vel veſanâ percitus indignatione, pro mentis arbitrio, non pro veritatis amore, ſcribens, quęcunque indigeſtâ oratione complexus eſt, literis fœdiſſimè conſignavit. Ut plurimum autem recoctâ crambe Lectoribus ſtomachum provocare non erubuit, eadem inſulsè repetens, quæ hæretici homines ſuperiori ævo nobis opponebant; quæque quàm vana ſint, quàm futilia, quàm falſa, catholici Scriptores noſtri non unâ vice pluſquam liquidò demonſtrarunt. Re verâ Epiſtola illa adeo latis exundat erroribus, ut vel iis quoque, qui eccleſiaſticam eruditionem a limine ſalutarunt, ſi ab iiſdem critico examine diſquiratur, ac mediocri diſcuſſione totius rei momenta diſpungantur, & veſtigio exploratum planè fiet, fabulam ſapere potius, etſi elegantium verborum fuco, ad legentium auram captandam, comta videatur.

Attamen quia plurimorum ingenium eſt, ea majori excipere plauſu, quæ fœdiori malignitatis tabe graviùs olent; præſertim quum Principum famam, Antiſtitum vitam, Bonorumque omnium hominum mores aperto ore diſcerpunt; hinc fortaſſis apud eoſdem, nimiâ etiam credulitate captos, inania illa figmenta invenient fidem, quam non facti ratio, ſed vel iniquæ mentis præconcepta opinio, vel adver-

ſan-

Digitized by Google

ſantis animi præceps ſententia, vel ſcientiarum omnium expers cognitio, commendabit. Conſultum propterea nos putavimus, eidem Epiſtolæ opportunam dare reſponſionem; quam quidem concinnandam ſuſcepimus, & pro apoſtolicæ Sedis honore vindicando, cujus obſequium omni alio antiquius nobis eſt, & pro Polonæ Gentis religione, cujus gloriam Catholicorum omnium intereſt præcipuâ virtutis laude cumulare. In apertum ergo potiſſimùm educendum curabimus, quæcunque in Epiſtola iſta conſarcinata ſunt, polono neutiquam calamo ſcripta eſſe; at potius calamo, quem occultus Poloniæ, apertiſſimus verò romanæ Fidei hoſtis, unicè mendacio, calumniæ, impudentiæ, horum autem omnium matri, hæreſi ſcilicet, dedicavit.

Hinc non Polonum, at Pſeudo-Polonum, Epiſtolæ Auctorem fuiſſe ſcribimus; & non abſimiliter quotquot Catholici Epiſtolam legerunt, facili negocio judicarunt. Conjecturarum inſuper ope, aut potius evidentiæ, arguimus, aliquem fuiſſe ex finitimarum gentium heterodoxis, qui, occaſione arreptâ, in apoſtolicam Sedem debacchandi, ſub poloni nominis larva ſe occultavit, ut eò liberiùs, quò tutiùs, ſuæ ſectæ commenta divulgaret. Contra hunc ſanè, non

Digitized by Google

non contra Polonum; cujus gentem; religionem, ac nomen ipſum, ut in maximo honore habemus, ita & optimâ virtutis opinione, complectimur, calamum acuimus noſtrum, manumque admovemus. Calamo autem parcet Lector, ſi Adverſarium duriùs ſe habere comperiat; cùm non diſcerpat nomen, quòd ignoramus, non gentem, quæ nobis ignota eſt, non patriam, quę nos latet; at ſolùm feriat in ſcribendo audax nimis ingenium, in ſe occultando fallax, & injurioſum pio ac religioſo populo conſilium, doctrinam denique, quæ tota non tantùm falſa eſt, ſed impia; nòn ſolùm Eccleſiam perturbans, ſed & regnum; non Sacerdoti dumtaxat maledicens, ſed & Principi.

Verùm ſi zelus ardet, charitas non frigeſcit. Deum optimum maximum ex intimo cordis affectu rogamus, ut Epiſtolæ Auctori, quicunquę ille fuerit, ſanam mentem infundat, cor docile, ſpiritum religionis, ac pietatis; ut in primis æqui bonique conſulat, ea nos ſcripſiſſe, quæ ſuam in credendo fidem promovere habent, ac in ſcribendo fidelitatem provocare. Poſtmodum, ut non privato odio, quod nullum habere poſſumus cum homine prorſus nobis ignoto, at veritatis amori tribuat quæcunque a nobis ſcripta ſunt; quam quidem

dem & ipſe etiam aſſequetur, ſi præjudicia deponens, eam non in rivulis, ut plurimum cænoſis, at in aperto ac limpidiſſimo fonte perquiret. Denique, ut non aſſentationis vitium, quod eſt æquitatis judicium, criminetur; neminem enim in ſcribendo palpare, neminem lædere, neminem conſtituimus lacerare. Provocati reſpondimus, Religioſi hominis munus egimus, Antiſtitis viri partes implere curavimus. Eccleſiæ jura ſunt, quæ tuemur; inclytę Reipublicæ decora ſunt, quæ vindicamus; Sanctiſſimi Pontificis æquitatem, prudentiam, zelum; Orthodoxi Regis jus, meritum, virtutem, æternitati commendamus. In omnibus autem reddere conati ſumus, quæ ſunt Regis, Regi; & quæ ſunt Dei, Deo.

Hæc ſcribebamus anno poſt milleſimum ſeptingenteſimum chriſtianæ æræ quinto; eo ſcilicet tempore, quo epiſtola illa, publici juris facta, per manus omnium volitabat. Eadem vulgare eodem prorſus momento nobis in animo erat; at illuſtriſſimi & eruditiſſimi viri, Joannis Chriſtophori Battelli, CLEMENTIS XI. a ſecretis epiſtolarum ad Principes, & deinde Archiepiſcopi Amaſeni, conſilium, quod nos plurimi faciebamus, nos induxit, ut hoc opportuniori tempore ageremus. Anno poſtmodum ſu-

Digitized by Google

ſupra milleſimum ſeptingenteſimum decimo ſexto CLEMENS XI. apud ſe voluit, & in ſuo privato muſæo ſervavit archetypum, & apud nos retinuimus ex archetypo expreſſum exemplum. Ab hominibus poſtmodum demigrante CLEMENTE, cogitavimus non amplius luce publicâ fraudare opellam, quam illi modeſtiſſimi Pontificis humilitas tam longo tempore denegaverat. At poſt hæc, multa rerum diſcrimina nobis moræ fuerunt, quo minus conſilium noſtrum citius exequeremur.

Denique opportuno adveniente tempore, folia, quæ hactenus, quacunque ex cauſa, in tenebris delituerunt, ut in publicum devenirent, typis excudenda curavimus. Hæc autem Lectori humaniſſimo ſignificamus, ne temporis diuturnam moram oſcitantiæ noſtræ adſcribat; ſed potius, vel temporum viciſſitudini, vel conſiliorum varietati, vel judiciorum inconſtantiæ, a quibus uſque modò, ne per inconſiderantiam erraremus, conſultò detenti fuimus. Faxit Deus, ut ad majorem ſui gloriam labor noſter deveniat, quemadmodum nos eundem dirigere conati ſumus. Quod ſi hoc erit, a quocunque nobis ſatisfactum fatemur; nec amplius quid ab homine expectamus, ſi Deo ſemel placuiſſe quoquo modo tenemus.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO.

E*Gregium opuſculum, inſcriptum* Polonæ Gentis Religio &c. *ab Illuſtriſſimo Domino Joſepho Maria Perrimezzi, Ordinis Minimorum, atque Oppidi Epiſcopo, Viro de Republica Literaria optimè merito lucubratum, & à Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri S. P. A. Magiſtro meæ cenſuræ concreditum, ut prælo committatur dignum exiſtimo; cùm ſanam doctrinam exhibeat, Eccleſiaſticâ eruditione ſit refertum, & Romani Pontificis Poteſtatem, adversùs virulentam larvati Acatholici epiſtolam, Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum auctoritate, & ſelectis Hiſtoriarum monumentis; abundè, concinnè, ac ſtrenuè vindicet, atque tueatur. Ita ſentio, ſalvo meliori &c. ex noſtra Domo S. Laurentij in Lucina diè 16. Februarij 1727.*

Cajetanus Corazza Clericorum Reg. Minorum Vicarius Generalis, in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Scholaſticæ Lector, Cleri Urbis examinator, & Supremæ Inquiſitionis qualificator.

Digitized by Google

APPROBATIO.

*L*ibrum, *cui titulus* Polonæ Gentis Religio &c. *adversùs Pſeudo: Poloni Equitis Epiſtolam inſcriptam &c. ab Illuſtriſſimo & Reverendiſsimo Joſepho Maria Perr.mezzi Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Epiſcopo Oppidenſi &c. elaboratum, juſsu Reverendiſsimi Patris Magiſtri Sacri Palatii attentè perlegi: Nibil in eo, quod Catbolicæ Veritati, vel bonis moribus adverſetur, inveni. Plurimum autem Pontificiam Majeſtatem, Polonorum famam, Religionemque ab Heterodoxo Scriptore, fœdo calamo deturpatas, Sacræ Antiquitatis exemplo, Vetuſtorum Patrum teſtimonio, ac perſpicuarum rationum momentis vindicatas, ac reſtitutas vidi. Opus quidem tanto Authore dignum, atque baud aliis diſſimile, ab eodem eruditè conſcriptis.*

Ad majorem igitur præfati Præſulis gloriam publicâ luce ponendum cenſeo. Ex noſtra Domo Profeſſa Sanctæ Mariæ Magdalenæ Urbis 22. *Februarij* 1727.

Hieronymus Zerilli Procurator Generalis Cler. Regul. Miniſtrantium Infirmis, S. Congregationis Indicis Conſultor &c.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

N. Baccari Epiſc. Bojan.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum Sac. Apoſtolici Palatii Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

PSEUDO-POLONI
EQUITIS

EPISTOLAM, INSCRIPTAM,

De poteſtate PONTIFICIS Romani, & ejus Decreto adverſus Primatem,

Et EPISCOPOS, Regni Poloniæ Senatores, Apologetica Reſponſio.

§. I.

QUUM Epiſtola tua, novarum rerum commentariis inſita, per manus fere omnium volitet, vix invenis, qui Tibi credat, Epiſtolæ Auctorem eſſe, quem ſcribis: Quod pene omnibus comperta ſit Poloniæ Gentis religio, ejuſque intemerata erga Apoſtolicam Sedem obſervantia. Plurimi autem ſunt, qui facillime adducuntur, te, uno ictu, duobus vulnus infligere affectaſſe;

inclytæ ſcilicet Reipublicæ, dum violatæ reverentię erga ſanctiſſimum Pontificem eam inſimulas; & ſanctiſſimo Pontifici, cum illum exercitæ tyrannidis erga inclytam Rempublicam accuſas.

Cujus iſtorum, in te refutando, potiores debeant eſſe partes, non exigui operis eſt definire; quum non facile ſit agnoſcere, an atrocior habeatur perduellionis injuria, quam in Polona Gente fuiſſe fingis, an præpotentiæ altera, quam in Pontificem opponis. Neutrum tamen, in animum inducimus potius, reſponſionis honorem tibi facere curaturum, quum in utrumque convitia, quæ congeris, ſpreta vileſcant. Magis vero, quæ contra pontificiam majeſtatem objectas, ſpernenda eſſe putamus; quum talia ſint, ut ea omnia oſtendas, hæreticorum hominum volumina calamo tuo mutuaſſe, contra quos catholici Scriptores, tot tantiſque vicibus, futilia prorſus, atque inania eſſe, demonſtrarunt.

Verum & ex hoc facile deprehendet quivis, te non Polonum eſſe, ut ſcribis, ſed potius unum ex finitimarum gentium heterodoxis, qui, patrio calamo ſcribens, non alia exarare potuiſti, quam quæ, vel præconcepta in ſanctam Sedem opinio, vel hæreſum præjudicia, quibus natale ſolum obvolvitur, tibi, aliiſque gentis ſuæ hominibus, ſuggerere potuerunt. Hoc primum ideo Epiſtolæ tuæ crimen opponere liceret, te ſcilicet non tantum voluiſſe nomen tuum in ſcribendo occultare, verum quoque ementiri; itaut parum tibi ſilentium videretur, ad pudorem obtegendum, implorare, ſi adhuc & mendacium non advocabas.

Sed quorſum hæc? Calamus tuus manifeſtum te facit; nominis vero ſuppreſſio, ſeu potius fictio, non majo-

Digitized by Google

majorem dictis tuis auctoritatem conciliabit: Quin ex adverſo te in primis malæ fidei arguet, quum falſo nomine te obtegis, & alteri imponere, quæ ex temetipſo non audes, contra jus omne, pertentas. Deinde etiam peſſimam cauſam oſtendet, quam tu cogeris ſuſtinere, dum talem comprobas eſſe, ut eam defendere erubeſcas: Unde catholici hominis nomen ſimulas, quo illa ſcribas, quæ nonniſi hæretico calamo ſcribi potuerunt.

Tametſi autem indigna reſponſo quæcunque ſcribere, vel potius exſcribere voluiſti, cuilibet catholico homini, qui Majorum tuorum conatus, quam inanes fuerint, agnoverit, videantur; Ego vero Epiſtolæ tuæ reſpondere conſtitui, ita tamen, ut vel ex hoc meo reſpondendi modo cognoſcas, quam infirma ſint, quæ contra Pontificiam auctoritatem opponis, cum eadem non à me modò confutari, ſed ab aliis innumeris Scriptoribus multoties confutata pridem, in præſenti vero a me dumtaxat hîc in memoriam revocari, non equidem tu ſolus, volens nolens, intelliges, ſed quivìs etiam diligens, ac juſtus rerum æſtimator, facili negocio judicabit.

Ad Epiſtolam ergo tuam devenientes, ejuſdem verba, tanquam in plures paragraphos diviſa, afferemus, ac cuilibet diviſionis parti opportunam dabimus reſponſionem. In omnibus autem ad hoc unum præcipue laborem noſtrum dirigemus, ut videant omnes, te in Epiſtola tua nihil novi dixiſſe, quod Hæretici majores tui non dixerint; te nihil in medium attuliſſe, contra quod Catholici Doctores noſtri non ſcripſerint. Rem experimento comprobemus.

Digitized by Google

§. II.

EPISTOLA.

CUm in Conventu nupero eſſet diſputatum de injuria, quam Pontifex Romanus Reipublicæ noſtræ infligere conatur, gaudebam vehementer, ea, „ quæ a me in medium erant prolata, non modo „ pleriſque æquiſſima, ſed & Tibi, Illuſtriſſime Vir, „ adeo probari, ut quæ raptim tunc dicta erant, „ ſcriptis a me mandari velles. Ecce morem tibi „ gero, & ex uberrima iſta ſegete ſumma tantum „ lego capita, quæ Curiæ Romanæ inſolentiam ar„ guent, & quam indigne libero Popolo inſultare „ ſuſtinuerit.

RESPONSIO.

IGitur Polonos Conventum, aſſeris, egiſſe, in quo de injuria tractaretur, quam Romanus Pontifex eorundem Reipublicæ infligere conabatur. Hæc profecto prima injuria eſt, qua Polonam Gentem, Apoſtolicæ Sedi addictiſſimam, ac Sanctiſſimo Chriſti Vicario obſequentiſſimam, æque impudenter, ac temere, afficis. Catholicos Senatores, eoſdemque nemini aliarum gentium, ſive pietatis, ſive religionis zelo, ſecundos, communem Catholicorum omnium Patrem injuriæ accuſare; ejuſdemque eximiam, nec ſatis laudabilem, erga dilectiſſimum Populum, charitatem, adeo vitio vertere, ut præpotentiæ loco habendam eſſe, judicaverint, cuinam Catholicorum

pia-

Digitized by Google

piaculum norrerit, diris omnimode devovendum? Polonorum Conventum Conventum facere Malignantium, qui, poſtquam in cælum auſi fuerint ponere os ſuum, in eo etiam judicando ſteterint, cui ſummum & univerſale rerum judicium dedit Deus, paucæ ne ſunt ſcelerum facies, quibus Catholica Reſpublica, ſi dicto tuo fides habenda eſſet, turpiſſime fæderatur?

At non levior injuria eſt, qua Sanctiſſimum Pontificem, ut atrociter, ita & iniquiſſime, affeciſti. Injuria ne tibi eſt, pacem in pene concuſſa a civilibus bellis Republica promovere? Vel libertati eſt inſultare, quæcunque ad libertatem tuendam conferre poterant, offerre; domeſticas nimirum concertationes, vel componere, vel revocare? Quid Poloni dixiſſent, quid Catholici omnes, & præ cunctis quid chriſtiani orbis Principes, ſi CLEMENS XI., Pontifex optimus, iſque vere ſanctiſſimus, ſiccis oculis, & otioſa manu, orthodoxam Rempublicam, & religionis zelo vere Romanam, inteſtino bello dilacerari, inſpexiſſet, & non uti communis Chriſtianorum omnium Pater, concordiæ, apud ipſam promodvendæ, & obtinendæ, deſudaſſet? Et hoc tum præterea præſtare tenebatur, quum videret, vel Schiſmaticis, vel hæreticis exercitibus, regiones illas, præ cunctis vere catholicas, tam miſere oppreſſas, ac tam nefarie divexatas, ut in iiſdem chriſtiana Fides in maximo quidem diſcrimine verſaretur?

Eccleſiaſticos autem Viros, quorum opera præſentiebat, optatam pacem, aut retardari, aut ſaltem poſtliminio citius, quam opus erat, non revocari, nonne Pontifex quoque Romanus, cui, & agnorum, & ovium, curam demandavit Chriſtus, potiori prorſus ratione debebat, & ſuaſionibus, & minis etiam, com-

Digitized by Google

compellere, ut ſuæ Patriæ, non equidem ſervituti, & bello, ſed paci conſulerent, & libertati opitularentur? Sane Eccleſiæ homines, etſi politicarum rerum directioni præpoſitos, præ cunctis nihilominus decet ſupremi Eccleſiæ Principis deſiderio, quod commune bonum reſpicit, obſequentes jungere manus, ut Reipublicæ, in ultimo quidem diſcrimine poſitæ, ob privatorum hominum ſimultates, communi, ac ſalutari voto proſpiciatur. Verum hanc Romani Pontificis erga dilectiſſimam Rempublicam providentiam, hanc ejuſdem erga Eccleſiaſticos Homines vigilantiam, tu inſolentiam appellas, qua Romana Curia libero Populo indigne inſultavit! Inſolentia ſcilicet tibi eſt aliis autem probati judicii hominibus charitas, zelus, ſumma cura, liberum Populum in Fidei puritate conſervare, ad mutuæ concordiæ unitatem reducere, ſine quibus libertas conſiſtere nullatenus valet; & ad hoc perficiendum Eccleſiæ viros, eoſdemque primarios in Eccleſia æque ac in Republica, quorum maximè intererat, admonere ſuaſionibus, immo & præceptis etiam urgere, ut Chriſto, Eccleſiæ, Reipublicæ, & non potius privatis affectibus, deſervirent.

§. III.

EPISTOLA.

INſpexi proprius myſteria iniquitatis, & quæ juſtus dolor ſuggeſſiſſet, liberius, quam forte expediat, „ protuli. Quæ autem tecum ea lege communico, „ ut nemini, præter illuſtres, & generoſos, Viros, „ N.N.,

Digitized by Google

„ N.N., ea monſtrarentur. Quanvis enim illa perſpicuis ſolidiſque adeo nitantur rationibus, ut nullius cenſuram formidare debeam: tamen cum non dubitoquin inveniantur, quos propria utilitas, aut ignorantia, aut longo tempore confirmatus error, obduraſſet, qui hæc tanquam Fidei catholicæ adverſa declarabunt, nolo crabrones iſtos irritare. Quotus enim quiſque eorum eſt, cui iſta contigit felicitas, ut in interiora veritatis hujus penetrare potuerit, & ſuis oculis videre, quomodo in hanc ſervitutem devenerimus, qua nobis ante cunctos placere ſolemus. Qui ex ſacro Ordine ſunt, piaculum vocant, hiſcere contra ſanctitatem Beatiſſimi Patris: Reliqui Religionis curam adeo ad ſe non pertinere arbitrantur, ut illis de ejuſmodi negotiis nunquam in mentem veniat. Quo magis ea, quæ ipſorum opinioni non conveniunt, ut nova & inaudita tractabunt. „

RESPONSIO.

Vere myſteria tua, amico Viro ſcribens, ſilentii ſacramento obſignaſti; eaque lege eidem communicare dignatus es, ut ea non niſi duobus, quos illuſtres & generoſos vocas, hominibus patefierent. At neſcimus, quonam deinde fato ſit factum, ut eadem in propatulo promulgarentur; adeo ut per omnium manus, novarum rerum ephemeribus exſcripta, in Italiam uſque devenirent; hicque non doctis tantum hominibus, ſed illis de trivio quoque, immo lippis etiam, & tonſoribus innoteſcerent. Verum quanam felicitate id contigerit, nullo negotio diſces, vel intuens ſolum, quam expedite Itali noſtri ſcribentis

Digitized by Google

tis fraudem detexerunt; vel ſaltem audiens, quam ſiniſtra omnium admurmuratione ſcriptionis ratio excepta fuerit : Quum omnes uno ore, unoque animi ſenſu, fateantur, Epiſtolæ Auctorem non Polonum eſſe, ſed ſub Poloni Equitis larva heterodoxum hominem occultari; eundemque in ſcribendo, ut verborum copiâ, ita & rationum inopiâ, laboraſſe.

Tu autem cenſuram te jactas non formidare, quum quæ dicis, perſpicuis ſolidiſque rationibus innitantur; times vero noſtrûm aut utilitatem, aut ignorantiam, aut longo tempore confirmatum errorem, provocare. Vere quidem tu ſolus, aliique ejuſdem ac tu furfuris homines, tu ſolus ſinceræ indolis, ingenuæque mentis, homo; tu ſolus fallendi neſcius, omniſque aberrationis exſors; tu ſolus demum recondita doctrina ornatus, mente animoque immenſum veritatis campum feliciter peragraſti. Catholici autem omnes, aut vili commodo allecti, non ea loquuntur, quæ ſentiunt; aut obtuſo præditi ingenio, non ea cognoſcunt, quæ vera ſunt. Nos demum, qui ex ſacro Ordine ſumus, non tantum creduli, ſed & ſuperſtitioſi tibi quoque probamur; quum non ſolum ea credamus, quæ cæteri de vulgo homines credunt, quibus nullam aſſeris Religionis curam eſſe, ſed piaculum dicamus etiam contra ſanctitatem Beatiſſimi Patris hiſcere, & quæ noſtræ opinioni non conveniunt, ut nova prorſus, & inaudita tractemus.

Ita ne, ut ab hoc ultimo incipiamus, ad opinionem revocas quæ contendis; ut Catholicis ſcilicet viam ſternas, abſque violatæ Fidei crimine, opinandi ſaltem, quæ illis proponere non erubeſcis? Subtilis porro excogitatio! Indifferentem facere quæſtionem quod orthodoxum dogma eſt; ut tandem hac arte vafer-

Digitized by Google

vaferrima eo imperitos Catholicorum ducere poſſis, quo nullatenus valet inanitas impellere rationum. Hoc igitur pacto tibi audes promittere, non paucos fore, qui, vel rei novitate, vel privatæ paſſionis ſtudio, allecti, libenter dictis tuis aſſentiantur, quum iiſdem acquieſcere, te Judice, abſque Fidei diſcrimine, poſſint? Sed profecto te tua quamplurimum fallit opinio, quum cuilibet Catholicorum ſatis conſtet, quibus malis artibus, ſecundum temporum rationem, heterodoxi homines utantur, ut inter nos errorum ſuorum ſemina committant; hiſque perſpectis, haud facile vobis erit adinvenire, qui fidem dictis veſtris adhibeat, niſi ipſe velit prius ſibi, quam aliis, ementiri.

At non unum iniquitatis myſterium, ut Philippus de Mornay, Calvinianorum Coriphæus, ſed plura proprius inſpicere, & liberius etiam proferre, auſus es; ea nimirum, quæ in potificiam auctoritatem congeſſa opponere in Epiſtolæ decurſu proſequeris. Hæc juſtus dolor compellit te deplorare, & eo vel maximè, quod iiſdem alii in hanc ſervitutem devenerint, qua ſibi ante cunctos placere ſolent. Scilicet catholicorum hominum ſervitutem, innuis, deplorandam, qua nobis ante cunctos, placere ſolemus. Tu autem libertate exultas, qua homines, a Romana Eccleſia extorres, potiri ſe jactant. Non equidem hæc libertas illa eſt, in quam Chriſti cultores vocatos eſſe, Apoſtolus prædicabat; ſed ea, in quam Chriſti deſertores Diabolus vocavit; qui proinde in libertatem vocati, occaſionem dederunt carni, per charitatem vero ſpiritûs ſibi invicem ſervire nequiverunt. Libertas non eſt; quam generat libertatis exceſſus; ſed quacunque deterior ſervitute. Hanc ſane libertatem

Catholici dedignantur, eique ſervitutem præferunt, qua Chriſto obſequentes, erga illum quoque, qui Chriſti vices in terris ſuſtinet, proni, obedienteſque probantur. *Inutilis vero ſervus ille ſolus eſt, qui*, ut magnus Gregorius hom. VII. in Evangel. appoſitè ſcribebat, *Dominum durum vocat*.

§. IV.

EPISTOLA.

EQuidem meretur laudem gens noſtra, quæ ſingularem religionis amorem, & venerationem
„ præ ſe ſemper tulit, & cæca obedientia duriſſima
„ quæque a Sede Romana pati maluit, quam irre-
„ verentiæ erga illum inſimulari, qui Chriſti vices
„ in terra ſuſtinere creditur. Magnam proinde glo-
„ riam adepti ſunt Poloni, qui Concilio interfuerunt
„ Tridentino; quorum operâ procul dubio ſtabilita
„ eſt ſummi Pontificis auctoritas, cum vacillare tunc
„ quam maxime cæpiſſet, & ab aliis in dubium vo-
„ cari. Jam vero cum illuc ſit perventum, ut Curia
„ Romana non contenta juriſdictionem in Eccleſia-
„ ſticis exercere, jura etiam Reipublicæ ad ſe tra-
„ here incipiat, non diſſimulandum vulnus hoc, niſi
„ iſtius libertatis, quam cum vita accepimus, prodi-
„ tores eſſe velimus.

RESPONSIO.

SChiſmatis veſtri cauſam prætexiſtis quidem, eanque nobis obtrudere non ceſſatis, quemad-
mo-

Digitized by Google

modum Majores veſtri, ſchiſmatis initio, plenis buccis, fuiſſe, decantarunt, Romanorum Pontificium præpotentiam. Hanc modo Polonis ſatagis proponere, ut & ipſi hac ſpecie a catholica unitate deficiant, ſicuti vos eodem nomine defeciſtis. Laudas quidem præteritam, ut ais, Polonæ Gentis erga Apoſtolicam Sedem reverentiam, ut ea fortius utaris ad ſuadendum ſchiſma, quod latius propagari optas; dum intolerabilem potentiam illam exageras, quæ reverentiâ ſibi præſtitâ adeo abutitur, ut reverentiâ haud quaquam contenta ſit, niſi etiam exigat ſervitutem. At fucum aliis facere poteris, non Polonis, qui quemadmodum viribus ita ſunt prædicti, ut arma veſtra minime pertimeſcant, ingenio quoque ſic pollent, ut veſtra ſophiſmata contemnant.

Verùm operæ pretium ducimus, duriſſima illa penitius perluſtrare, quæ a Romana Sede impoſita fuiſſe Polonorum Reipublicæ, obtendis. Hæc profecto, vel a Pontifice Maximo eadem Polonis imponente, vel a Polonis ipſis, de eorundem impoſitione conquerentibus, ſupra cæteros, diſcimus. Audiamus ergo primo loco Pontificis ſenſus, qui in literis datis Eminentiſſimo Poloni Regni Primati, ſub die tertia Auguſti, anni MDCCIV, univerſo orbi innotuerunt. Paterna officia ſua, teſtatur Pontifex Sanctiſſimus, Polonorum Reipublicæ, immo Religionis catholicæ utilitatem ſolummodo reſpexiſſe: *Paternis officiis noſtris nonniſi Reipublicæ veſtræ, immo Religionis catholicæ utilitatem reſpicientibus*. Inferius vero ſubditur. *Nos quidem, pro commiſſa nobis univerſarum Chriſti ovium ſollicitudine, paternâ, qua omnium catholicorum regnorum pacem felicitatemque promovere tenemur, charitate, nihil omiſimus, quo impendentia Reipublicæ ve-*

 ve-

Digitized by Google

veſtræ mala avertere ſatageremus. Quid enim potuimus facere, & non fecimus? Deinde poſtquam ea recitaſſet, quæ ab eodem Primate geſta, ſuæ correctionis zelo ſuggillaverat, ſubjungit. *Quis enim probus, ac vere catholicus, ſine indignatione audiat, hæc omnia, quanto cum regni periculo, Hæreticorum armis in Patriam inductis, Sacerdote Dei, Epiſcoporum regni Primate, romanâque inſuper purpurâ condecorato, non aſſentiente ſolum, ſed auctore ac duce, patrata fuiſſe? Illaque, romano nequicquam reclamante Pontifice, imminentem regno cladem, ac Religioni probrum, exitiumque, futura?*

Denique, non tantum Reipublicæ ſaluti conſulens, verum proſpiciens quoque ejuſdem Primatis Perſonæ, ac dignitati, eidem a Polonia diſceſſum ſerio præcipit, verbis hiſce, quibus epiſtolæ finem imponit. *Quoniam vero rem iſtam eo jam adductam videmus, ut niſi deteriora in dies pericula ſubire velimus, tuamque etiam Perſonam, ac dignitatem, de qua, pro muneris noſtri debito, ſolliciti eſſe volumus, ac debemus, periclitari patiamur, valdiori prorſus remedio utendum ſit. Propterea Circumſpectioni tuæ, tenore præſentium, apoſtolica, quam nobis Altiſſimus credidit, auctoritate, diſtricte præcipimus, atque in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut intra primorum trium menſium ſpatium, omni mora poſtpoſita, a finibus Poloniæ diſcedens, ad hanc almam Urbem noſtram omnino te conferas; eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas, a ſacris canonibus, & conſtitutionibus apoſtolicis, adverſus inobedientes, & Sedis apoſtolicæ mandatis contumaces, inflictas, atque ſtatutas, niſi prompte, ut ſperamus, parueris, ſubiturus. Et tibi interim, dilecte Fili noſter, apoſtolicam benedictionem, cui cæleſtem accedere optamus, peramanter impertimur.*

Po-

Digitized by Google

Polonorum modo querelas tempus eſt ut audiamus; qui, poſtquam regni Primas, acceptis pontificiis literis, ad iter Romam verſus ſuſcipiendum ſe parare, ipſis ſcripſerat, adeoque ad Conventum Varſaviæ ſe conferre nullatenus poſſe; ſub titulo Status, & Ordinum, Reipublicæ confæderatæ, ipſorumque nomine Petrus de Peradysz Bronisz, Mareſchalcus confæderationis generalis, Pontifici literas dederunt, quibus enixe eum exorabant, ut Primati, aliiſque Epiſcopis, Regni Senatoribus, ne a Poloniæ regno diſcederent, concedere dignaretur. Ii autem non omnes erant Polonæ Reipublicæ Proceres, ſed illi duntaxat, qui Stanislao, ab ipſis noviter electo, adhærebant. Cæteri vero Auguſto Regi adhærentes, aliter de Primate, ac de Epiſcopis, cum ipſo convenientibus, ſe ſentire profitebantur; unde non eadem, ac illis, erat his animi ſententia, nec proinde ſenſus, quos mox ex laudata Polonorum ad Pontificem epiſtola, recitabimus, de univerſæ Reipublicæ mente dicendi ſunt. Hæc ergo Poloniæ Senatores, ad Conſilium magnum, ut in epiſtolæ initio dicebant, Varſaviæ congregati, inter alia, Sanctiſſimo Patri noſtro expoſuerunt.

Notum eſt Sanctitati Veſtræ ex publica fama, a tam longo jam tempore manere Rempublicam prædæ & latrociniis expoſitam, motibus vero & periculis, in dies magis ingraveſcentibus, concuſſam. Si vero adhuc Primas a clavo ſuo, cui in tali caſu præeſſe debet, avocetur, ſequela indubia, velle nos ſine conſilii capite, ſine remediorum auctore, ultimis obtrudere exitiis, cum diſcrimine, non tantum libertatis, ſed etiam ipſius met Religionis, in copias diſſidentium extreme luctantis. Cum itaque & ſtatuta Regni evocationem Primatis nullo modo

do

do admittant, & ipſa temporis ratio præſentiam hic ejus apprime requirat, provoluti ad pedes Sanctitatis Veſtræ, deprecamur, rigorem editæ vocationis mitigare, exorantes humillime, ut eccleſiaſtica poteſtate, (quam etiam omnes Sæculares venerabundi agnoſcimus,) non patiatur confundi & convelli ſtatum politicum, ad quem, aut Epiſcopos tanquam Senatores, & principaliter Primatem, omnino oportere, evidens eſt referri, aut mutationem Status intendi ... Præfata interdicta Eminentiſſimo Primati, & illuſtriſſimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, revocare pientiſſimo nutu non recuſet; minime ambigimus beneficia hæc, legum patriarum auxiliis ſuffulta, non negaturam nobis Sanctitatem Veſtram. Immo, ſi cura integritatis, quietiſque noſtræ, a qua Religionis etiam dependet ſecuritas, paterno ſit cordi, aſſenſuram facile votis noſtris, hac in parte juſtiſſimis, ſperare poſſimus; & ſecundum legum noſtrarum tenorem, ſaluti publicæ conſulere: ſucceſſuſque temporis probabit, quod non ſit in nobis inquietus aliquis & turbolentus animus, ſed verum & unicum ſtudium pacificandæ Reipublicæ, reſtaurandæ libertatis, tanquam multo ſanguine partæ, ipſiuſque ſinceræ ac continuæ in ſacram Sedem Romanam devotionis remonſtrandæ, quam millieſque millies, innato huic genti zelo, profitendo, manum de tabula deponimus. Oſculum vero humillimum cumulato vulta pedibus Sanctitatis Veſtræ infigimus.

Perventum ne ergo illuc eſt, ut Romana Curia, non contenta juriſdictionem in Eccleſiaſticis exercere, jura etiam Reipublicæ ad ſe trahere incipiat? Eccleſiaſticis tantum Viris, prærecenſitæ Epiſtolæ verba demonſtrant, Pontificem mandaſſe, ut pro pacis bono, e Poloniæ regno diſcederent; hæc ſola juriſdictio eſt, quam in Eccleſiaſticis exercuit. Per hoc igi-

igitur jura etiam Reipublicæ ad ſe attrahit Romana Curia? Maxime, fortaſſis ais; quia Eccleſiaſtici hujuſmodi ſunt etiam Senatores; quique, ut tales, ut Poloni aſſerunt in epiſtola, ad politicum Statum referuntur. Ergo in Epiſcopis Senatoribus potiora erunt politici, quam eccleſiaſtici ſtatus, jura, quum illa ſuſtinere, hæc cedere oporteat? Comprobas ſane, non aliud tibi propoſitum in mente fuiſſe, quam Eccleſiæ, & Regni jura perturbare; & quum ſæcularia divinis ſervire habeant, hæc illis debeant turpiſſime mancipare. Non Eccleſiaſtici tantum, ſed & Sæculares quoque omnes, ut teſtantur in epiſtola, pontificiam poteſtatem venerabundi agnoſcunt. Ergo & iidem affirmare habent, Eccleſiaſticos omnes, etſi politicum ſtatum implentes, de quibuſcunque ab illis fiunt Eccleſiæ Principi debere reddere rationem, qui ipſorum competens ſolus eſt Judex, & ſolus in eoſdem legitime inquirit. Cognoſcunt quoque in Epiſcopo Senatores prius Epiſcopum, poſterius Senatorem eſſe conſiderandum; ac proinde potiorem in illo eſſe rationem, quam Eccleſiæ reddere debet, illâ, quam tenetur reddere Regno. Cognoſcunt demum, in Epiſcopo Senatore non eſſe obſervandas Patriæ leges, ſi Patriæ leges legibus Eccleſiæ oppoſitas eſſe comperiatur; cùm prior & potior ſit obedientia, quam Epiſcopus Eccleſiæ profitetur, ea, quam uti Senator fortaſſis habet Reipublicæ obſervare.

At hîc etiam conſiderare non pigeat, quam diverſa ſint, & prorſus oppoſita, quæ de Polonorum Conventu Pſeudo-Polonus narrat, & quæ de eodem veri Poloni profitentur. Aſſerunt iſti in prælaudata epiſtola; Pontificiam Poteſtatem etiam Sæculares omnes in Polonia venerabundos agnoſcere: Tu contra

tra in epiſtola tua, vel eam in dubium vertis; vel eam aperte negas, ſemper autem proterve non minus, quam injuſte, proſcindis. Illi ſinceram ac continuam in ſacram romanam Sedem devotionem remonſtrant, quam profiteri, millies millieſque innatum dicunt eſſe Polonæ Genti zelum: Tu ex oppoſito contra eandem iniquo odio ſuffunderis, nec ſola tua adverſione contentus, eidem apud omnes invidiam inurere auſus es. Illi Sanctiſſimi Pontificis pietatem implorant, tu injuſtitiam accuſas. Ad ſummum de rigore editæ vocationis illi conqueruntur; at exorant humillime, ut eandem dignetur Pontifex mitigare: Tu injuriam, aſſeris, Romanum Pontificem Polonorum Reipublicæ infligere conari; ac de eadem eſſe in nupero Polonorum Conventu diſputatum. Quis ergo tibi credat, Polonum te eſſe, ut ſcribis, quum ea ſcribas, quorum oppoſita veri ingenuique Poloni ſcripſerunt?

Interfuerunt quidem Tridentino Concilio Poloni, ſed non ſoli. Interfuerunt quoque Itali, Galli, Hiſpani, Germani adhuc plurimi, quorum ut cauſſa, ita & gloria communis fuit, intereſſe. At quis tibi concedat, Polonorum operâ inibi fuiſſe Pontificis auctoritatem ſtabilitam? Obſtiterunt ſane Hæreticorum invidiæ Poloni, quum illi de Pontificis potentia deprimenda tractarent; obſtiterunt etiam aliarum gentium homines, quos adhuc innovandi libido, vel adulandi lues non tetigerat: Verum hoc non eſt Pontificis auctoritatem ſtabilire, eſt potius illius everſionem non tentare, vel contra ipſam non pugnare; quod quidem laudi etiam dari non inficiamur Polonis, aliiſque exterarum nationum viris, qui heterodoxis tuis, ad impium opus, manus adjungere renuerunt.

Digitized by Google

ſunt. De cætero auctoritatem illam, nullatenus humanam, ſed vere divinam, ſtabilem, firmamque, conſervare, ſolius Chriſti eſt, quemadmodum ſolius Chriſti fuit eam fundare. Homines vero etſi conatibus ſuis convellere pertentent, non per hoc tamen pauliſper illam de loco demovebunt; quia, ut S. Leo magnus, in epiſtola ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ, ſcribebat; *Quiſquis huic Sedi principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit.*

§. V.

E P I S T O L A.

QUàm enim proterve nobis illuſerint Nuncii Apoſtolici, qui per hos annos in Polonia fuerunt, „ ad contumeliam nominis polonici, cunctis „ eſt notiſſimum. Cum viderent Rempublicam om„ nium calamitatum pelago mergi, & de ultima ſa„ lute periclitari, increpare tamen auſi ſunt, ſi vel „ minimum conatum in nobis percepiſſent, ex malis „ hiſce eluctandi. Pati poterant, Auguſto Rege, „ lacerari Poloniam; connivere quoque ad abomi„ nanda libidinum genera, quibus ſe mancipaverat; „ & tanquam in optima cauſa, illum fovere, ſuble„ vare, hortarique, ut in cæptis perſeveraret. Cum „ remedium, quod natura, ac ratio, adverſus Ty„ rannos dictitant, adhibituros nos oſtenderemus, „ peccatum vocare grandiſſimum, minari, terrere, „ non deſtiterunt. Hæreticorum copias in regnum

„ catholicum introductas vociferabantur ; eorum
„ amicos cunctis diris devovendos : Cum interea res
„ mala non erat , graſſari per Poloniam Saxonicum
„ militem , eadem hæreſi infectum , ſpoliari templa ,
„ profanari ſacra , religioſos homines vinciri , atque
„ indigniſſime haberi .

RESPONSIO.

Apoſtolicos Nuncios pergis modo traducere ; at quàm injuſtè , vel ex hoc tantùm manifeſtum fiet, quod illos nullo peculiari crimine coarguis. Auguſto adhærebant , quia Auguſtum Poloni Regem elegerant ; quam ſane electionem nec Pontifex ipſis preceperat , nec illius temporis Nuncius ſuaſerat . Pontifex ipſe , immortalis ſanctæque memoriæ INNOCENTIUS XII. , non ſtatim Regem habuit Auguſtum , ac ipſum Poloni elegerunt ; quippe qui cùm Auguſtum præteritis temporibus hæreſi infectum ſciret , primitus Fidei ſuæ experimentum voluit facere, & deinde Regem , tanquam legitime electum, agnoſcere. Auguſto autem a tota fere Polonia jam Rege ſalutato , poterant ne Nuncii ab illo diſcedere, cui major Senatorum pars adhærebat? Civilia diſſidia Nunciorum animis inſedit ſemper , vel componere , vel impedire ; at nullius , aut rapinas , aut libidines , patrocinari. Hoc eccleſiaſticis viris mandabat Pontifex ; hoc omnium Statuum hominibus Nuncii inculcabant . At hoc ipſum non eſt Tyranni , ſed Patris partes agere ; non eſt Reipublicæ ſervitutem inducere , ſed promovere libertatem ; non eſt demum Religioni diſcrimen parare , ſed eam ſartam tectamque in tuto ponere .

Hæ-

Hæreticorum, ſive Svecorum, ſive Saxonicorum Militum copias, nec Nuncii vocarunt, nec Pontifex advocari mandavit. Immo, illis omnibus expulſis, continuò Sanctus Pater Polonos hortabatur, ejuſque Nuncii quaque die iiſdem ſuadebant, ut a ſolis catolicis catholica Reſpublica defenderetur. Sibi autem imputent Poloni illi, qui aut Auguſtum Regem eligentes, Saxones milites in Rempublicam admiſerunt; aut Auguſtum e regno expellere pertentantes, Svecorum copias recipere coacti ſunt. Horum nihil Pontifex juſſit, nihil ſuaſit; ea vero per Nuncios ſuos, ex paternæ dilectionis debito, egit, quæ Reipublicæ paci, libertati, religioni, conferebant. Hæc omnia ultro Poloni fatebuntur; tibi autem quod neſcias parco, quum noſtrarum rerum, quà odio, quà ignorantia, detinearis. Sed parcere non poſſum, quod cùm velis Polonum fingere, Poloniæ Statûs peritiam aſſequi non curaveris.

Cæterum quemnam Polonorum latet, quàm fauſtus reipublicæ fuerit Cardinalis Fabritii Paulutii, tunc temporis extraordinarii Nuncii, adventus; cùm ejus operâ, Cardinalis Primas, cæterique Senatores, in Auguſti Regis gratiam venerint; unde reſpublica, undique animis compoſitis, cæpit priſtina pace frui? Cuinam non patent, quæ Cardinalis Franciſcus Pignatelli, Nuncius antea ordinarius, ſolerter apteque egit, ut cæpta in regno quies diutius perſeveraret? Denique omnibus comperta credimus, quæ Nuncius pridem, modo Cardinalis Horatius Philippus Spada, pro civili bello, quod iterum exarſerat, ſedanda; pro reipublicæ unitate, quam denuo lacerari videbat, conſervanda; pro bono demum totius regni, contra quod regnum ipſum militabat, retinendo, aggreſſus eſt.

Digitized by Google

Hi ſane omnes, nec duos in eodem regno Reges fovere poterant; nec uno in Regem agnito, quem prius Reſpublica elegerat, debebant alteri adhærere; & quum non exigua Senatorum pars Auguſto etiam obediret, quonam pacto poterant Nuncii ab eo diſcedere, quem adhuc Poloni pro rege habebant? Satius ergo ipſis fuit, cùm Poloniæ Proceres diviſi in partes eſſent, illum fovere, quem prius tota Reſpublica agnoverat, & quem deinde ejuſdem pars non modica venerabatur. Et quoadusque legitime de ejuſdem mala cauſa Pontifici maximo non conſtaret, illum nullo modo poſthabere debebant, ut alterum, nec etiam a tota Republica electum, nec agnitum, aut foverent, aut ſublevarent, aut ſaltem ut perſeveraret in cæptis, hortarentur.

Verum Saxonicos Milites, etſi hæreſi infectos, ſub catholico tamen Principe, non ea mala credendum eſt Reipublicæ inferre potuiſſe, quæ ab aliis, ſive Militibus, ſive Ducibus, omnibus quidem heterodoxis, inferebantur. Nec Auguſtus Milites ſuos eò advocaverat, ſeu ibidem retinebat, niſi ut ſe ab illis defendere, qui eum è throno dejicere moliebantur; quique proindè cauſa fuerunt, ut non ſolum Sveci, verum quoque Saxones Milites in Polonia prædarentur. Nec tamen Pontifex, nec ejus Nuncii, interea patiebantur, Poloniam lacerari, dummodo Auguſtus regnaret; nec iiſdem res non mala erat, per Poloniam Saxonicum Militem graſſari, quum de Hæreticorum copiis, in eandem introductis, quererentur. Quinimmo Reipublicæ integritatem ſervare iiſdem in animo ſemper fuit; quam ſane ſervari minime poſſe judicabant, ſi alterius Regis electioni adhæſiſſent. Saxonicum vero Militem è Poloniæ finibus expellere conſi-

lium

Digitized by Google

lium quoque fuiſſet; quem nihilominus, neceſſitate urgente, tolerandum, neutiquam vero diligendum, prudentiori conſilio, eligebatur.

§. VI.

EPISTOLA.

QUid de Moſcis dicam, reliquâque Barbarorum colluvie, quos, aut Schiſmaticos, aut Idololatras, Pater Patriæ, Auguſtus, in Poloniam acciverat? Ad Hæreticos extirpandos pia hæc agmina veniſſe credemus; quæ ideo veniſſe novimus, ut expulſis Svecis, abſque impedimento, regnum, prædamque, cum Auguſto Regi partirentur. Religionis causâ neminem a Svecis lædi comperimus; ſed potius ſeveriſſime eos omnium vim, ac contumeliam, a locis, perſoniſque ſacris, prohibuiſſe. Czarum autem audivimus, non tantum Religioni noſtræ minari, & imagines ſacras in omnium oculis conſpuere, ſed etiam innocentiſſimos Miniſtros, cum Religionem defenderent, crudeliter mactaſſe. Tales igitur Religionis catholicæ hoſtes nocentiſſimos cum laudant, nobis vitio vertunt, Svecos veniſſe in regnum, quos notum eſt fugientes Saxones in viſcera Poloniæ pertraxiſſe. Sed quemadmodum Svecos ſperamus aliquando abituros, ita, Auguſto Rege retento, nunquam altera peſte liberari nos, certum eſt. Hac igitur Sarcinâ primum levari Poloniam oportuiſſet, ſi reliqua Hæreticorum agmina expelli voluiſſent.„

RE-

RESPONSIO.

AUguſti Regis cauſam non intereſt noſtra, ſicut nec ejuſdem facta, aut defendere, aut accuſare; cùm hîc tantum pro Romani Pontificis opera, ac poteſtate, ab Impoſtoris calumniis vindicandis, calamum tractare voluerimus. Quid ergo Hæreticorum, Schiſmaticorum, Idololatrarumque hominum crimina, Pontifici, nihil cum talibus commune habenti, vitio vertis? Si vel Sveci, vel Moſci, vel Saxones, crudelitatem in res ſacras, earunque Miniſtros, exercuerint, illi viderint, qui eos primitus in Poloniam advocaverunt. Neminem ex iſtis tueri, neminem alteri præferre, neminem contra alium patrocinari, Pontifici in animo fuit unquam. Catholicam dumtaxat Religionem ſui muneris erat defendere. Fideique puritatem in fideliſſimo regno ſervare. Hoc cumulate præſtitit, Auguſtum catholicum prius probans, quemadmodum Poloni expoſuerant; hoc ipſum abundantius præſtare porrexit, Auguſto catholico in poſterum favens, quem, aut deſertæ, aut ementitæ Fidei, nec probaverat ipſe, nec Poloni demonſtraverant. Czarum vero, in catholicos ritus immaniter ſævientem, laudavit ne Pontifex unquam, vel ejuſdem Nuncii defenderunt? Ingemuit quidem pluries ſanctiſſimus Pater, ut vere Patrem decebat, Polonæ Reipublicæ calamitates, & quas ab ipſiſmet civibus eidem cauſari deprehenderat, ab iiſdem infligendis Eccleſiaſticos avertere procuravit, ne ipſi etiam in Patriæ ſuæ perniciem conſpirarent. Si Auguſto Regi, Czari auxiliarias copias in Poloniam advocanti, ex Polonis aliquis vitio

Digitized by Google

vitio vertet advocaſſe; vitio etiam Poloni non pauci Senatoribus aliis vertent, exteros Principes, religione & pietate diſſitos, in Poloniam accivisse, qui catholicam Rempublicam plurimum armis, atque rapinis, peſſime habuerunt. Poloni ergo, vel qui Auguſto adhærebant, una cum Auguſto, Czari adventum implorarunt; vel qui Stanislaum elegerant, Svecos in Poloniam acciverant. Pontifex neutros, nec vocare, nec recipere, nec retinere, Polonis, aut præceptum, aut conſilium, dedit; in eo dumtaxat totus omni tempore fuit, ut, compoſitis diſſidentium Polonorum animis, pax in republica reſurgeret, & perennaret, unde & libertas ſtaret illæſa, & Religio immaculata.

Attamen Poloni quoque ipſi, in quorum animis catholicæ Religionis zelus non refriguerat, Pontificem de patrocinio ſuo imploraverant: Unde, & pro muneris debito, quod ſibi impoſuit Chriſtus, & proſtudio, quod ab eo peculiariter Polona Gens deprecabatur, labenti Reipublicæ manum porrigere Sanctus Pater debebat; ne prorſus, ut unus aut alter, vel ex civibus, vel ex inimicis, intendebat, in præceps iret. Ergo Poloni ſchiſmaticos, vel hæreticos, armis Rempublicam peſſime habentes, æquiori animo tolerabant, quam communem Catholicorum omnium Patrem, monitis, conſiliis, præceptis quoque, ubi Religionis diſcrimen impendebat Reipublicæ, mala avertere, ejuſdemque bonum totis viribus promovere, nitentem? Ergo Reſpublica Hæreticorum, & Schiſmaticorum violentiam, rapacitatem, crudelitatem, pati poterat; quum iidem a ſingularibus hominibus fuiſſent intra ejus viſcera acciti; Pontificis vero charitatem, vigilantiam, zelum, intolerabilem habebat, ut proinde tyrannidem appellarent? Ergo ſatius

tius Polonis erat ab hoſtibus, quàm a Patre, ſalutem quærere; & de eorum manibus, qui ipſos oderant, expectare pacem, quàm de illius dextera, in qua Dominus virtutem fecerat, ut ſalvaret illos?

Indigna ſane ſunt iſta, ut de catholico & fideliſſimo Populo ſuſpicemur, cujus zelus eluxit in primis, quum ſummum Eccleſiæ Principem deprecatus eſt enixe, ut providentiâ ſuâ regno proſpiceret labenti, ſuaque auctoritate quaſſatam ferme rempublicam confirmaret. Quod Majorum ſuorum exemplo factum diſcimus; quum nimirum in omnibus regni perturbationibus, ubi præſertim de electorum Regum diſcordia agebatur, ad ſolam Sedem Apoſtolicam, tanquam ad parentem, & judicem, ipſimet Senatores legitime recurrebant; atque Pontifices ſummi, perpenſis prius rationum momentis, ſecundùm juſtitiæ leges, unum alteri præferre, omnes vero in pace componere, pro paternæ dilectionis munere, nitebantur. Sic porro factum legimus Sixti V. temporibus, quum Sigiſmundus, Svecus, & Maximilianus, Auſtriacus, electi fuere; ipſe Sixtus, per Cardinalem Hippolythum Aldobrandinum, qui deinde Clemens VIII. in potificatu dictus eſt, Legatum ſuum a latere, in Polqniam miſſum, diviſum regnum compoſuit, Proceresque omnes ſub uno capite adunavit. Innocentius III. Gneſnenſi etiam Archiepiſcopo, de modo componendæ contentionis, quæ inter plures fratres de Poloniæ principatu intercedebat, literas dedit, amoris equidem plenas, & ſummam curam, qua pro Reipublicæ quiete tenebatur, præſeferentes. Immo & contra Reges, etiam pacifice electos, haud tamen chriſtiane regnantes, Polonorum Reſpublica ad Pontifices ſummos recurſum habuit; qui & illos

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ armis compeſcere, & Reipublicæ quieti proſpicere, ſalutarium decretorum editione, ſtuduerunt. Ut quoque geſtum ſcimus a Clemente VI. cum Caſimiro III., quem magnum Poloni deinde appellarunt. Sed de his in ſequentibus fuſiora.

§. VII.

EPISTOLA.

INterea hoſte domi incubente, abduci Senatores noſtros videmus; & ne quid mali deſit, ſanctiſſi-
„ mum Papam ſpoliis quoque noſtris gaudere. Quàm
„ enim indigne cum Epiſcopo Poſnanienſi actum ſit,
„ adeo narrare non poſſum, ut bile rumpar, quoties
„ maculam Reipublicæ inuſtam cogito. Senatorem
„ de Republica optime meritum, facientem ea, quæ
„ Ordines regni juſſerant, non tantùm Romam vin-
„ ctum trahere, ſed etiam de ejus actis inquirere,
„ quamvis nihil interceſſerit, quod nullo modo ad
„ cauſam Religionis pertineat. Auctoratâ hoc pacto
„ licentiâ, ulterius progrediuntur. Epiſcopis, qui
„ ſenatoriam ſimul dignitatem in Republica gerunt,
„ interdicitur, ne diadema electo Regi imponant,
„ ne diſſidentia membra ſub uno capite revocent.
„ Primatem regni, qui majeſtatem totius Reipubli-
„ cæ repræſentat, extra fines regni evocare, cunctiſ-
„ que expoliare dignitatibus, quas in Republica
„ habet, nec pudor illis, aut verecundia eſt. An hi-
„ ſce actionibus Succeſſorem Petri agnoſcemus, ca-
„ put Eccleſiæ, & Vicarium Dei, qui curam orbis
„ chriſtiani gerit? An non potius fautorem malorum,

Digitized by Google

„ oppreſſorem innocentium, hoſtem populi catho-
„ lici, & inauſpicatiſſimi belli fomitem dicemus?
„ Egregium Chriſti Salvatoris imitatorem! Cùm
„ afflictiſſimam Polonorum ſortem miſerari deberet,
„ calamitates eorum pergit aggravare, atque pro-
„ ducere. Quas turbas ſedaret, ſufflat; & cùm Re-
„ ligionis curam ageret, regionis ſtudio ſe teneri
„ oſtendit. Quaſi non ſufficeret Eccleſiam ipſi inſer-
„ vire, niſi Regnum quoque ſceptra pedibus ſuis
„ ſubjiceret. „

RESPONSIO.

POſnaniæ Epiſcopum nec Pontifex capiendum juſ-ſit, nec ab Auguſto Rege captum, ratum fecit; quinimmo Auguſto præcepit, ut eccleſiaſticum Virum, tanquam ad judicem ſuum, ad ſe remitteret, qui ſolus in ipſum inquirere recto jure valebat. Auguſtus autem, quâ par erat obedientiâ, Pontifici morem gerens, vinctum Epiſcopum ſtatim ſolvi mandavit, eumque Romam remittendum aſſenſit. Quid injuſtum, vel indignum, ut aſſeris, per hæc a Pontifice cum Poſnanienſi Epiſcopo actum eſt? Nonne Pontifex debebat libertatem tueri Eccleſiæ, ne a laica Poteſtate læderetur; & Eccleſiæ hominum ſuo examini actiones ſubjicere, ne in Eccleſia impune quiſpiam operaretur? Quid ſi Auguſti arbitrio, qui eum bello cæperat, Poſnaniæ Epiſcopus relictus, non Romam, ſed Lypſiam aſportatus, ibi a ſæculari judice fuiſſet, vel detentus cum eccleſiaſticæ dignitatis dedecore, vel cum ſenatorii gradus dejectione punitus? Romam vero perductus, ibique honorifice exceptus, prout Epiſcopum, & Senatorem decebat, etſi de mul-

Digitized by Google

multis apud Pontificem accuſatus; utriuſque dignitatis celſitudinem in tuto poſitam habuit, ſuamque cauſam ſaniori judicio examinandam, & a convenienti judice definiendam, conſecutus eſt.

Pro Poſnanienſi Epiſcopo ſcripſerunt quidem Poloni Senatores Pontifici; illi nimirum, qui apud Varſaviam, Status, & Ordines Reipublicæ confæderatæ, ſe appellabant: Sed quàm longe eorundem epiſtolæ verba ab iis diſtant, quæ in tua epiſtola leguntur, utramque legentibus nullo negotio innoteſcet. Rogant illi Pontificem, tu eidem inſultas; preces illi fundunt, tu evomes maledicta; illi ſupplices ſe offerunt, tu criminatorem. En illorum epiſtolæ verba. *Supplices etiam pro illuſtriſſimo ac reverendiſſimo Nicolao Suzecichi, Epiſcopo Poſnanienſi, ad pedes Sanctitatis Tuæ, fundunt preces; ut quem ante annum libertates patrias, juraque, ac religionem, tuentem, ſacrilegum nefas ex libero regno ad ſaxonicas abduxerat oras; eum Sanctitas Veſtra ex angelica cuſtodia ad Rempublicam tanquam Senatorem, & ad Diœceſim tanquam bonum Paſtorem, remittere dignetur*. At in hiſce non tota quidem Reſpublica continebatur, cùm Senatores, Auguſto Regi adhærentes, aliter quidem de Poſnanienſi Epiſcopo ſentirent. Proindeque Pontifex, ne Epiſcopum ulteriori diſcrimini ſubjiceret, conſultius judicavit eum Romæ detinere, quoad uſque Poloniæ res in melius mutarentur.

Cardinalis Primas, norunt omnes, cui imputare habuit, quæ ſibi contraria paſſus fuit. Ipſe etenim Eccleſiæ Vir, & in ampliſſima dignitate conſtitutus, univerſæ Eccleſiæ Principi, non diſcordiam, ſed unitatem Reipublicæ, procuranti, primus omnium obſequentes jungere manus debuerat. At ex adverſo ma-

Digitized by Google

nus jungere viſus eſt Reipublicæ perturbatoribus; unde potiùs fautorem malorum, & belli fomitem, eum fuiſſe, Poloni ipſi conqueſti ſunt. Sed & ſanctiſſimus Pontifex hæc eadem ipſi, in præfata epiſtola, opponebat. *Decebat ſane eccleſiaſticum Virum, decebat Antiſtitem, decebat maxime hujus San. Rom. Eccleſiæ Cardinalem, Pontificis potius, qui Chriſti vices in terris gerit, quàm ex ſleri, & heterodoxi Principis, vocibus auſcultari; optatamque Reipublicæ tranquillitatem, quæ non niſi ſalvâ catholicâ religione conſtare poteſt, ab ejuſdem religionis hoſtibus non emendicare. Nos quidem, pro commiſſa nobis univerſarum Chriſti ovium ſollicitudine paterna, quâ omnium catholicorum regnorum pacem felicitatemque tenemur charitate procurare, nihil omiſimus, quo impendentia Reipublicæ veſtræ mala avertere ſatageremus. Quid enim potuimus facere, & non fecimus? Tu autem contra, qui nobis jungi debueras, propoſitaſque literis noſtris in eundem publicæ pacis finem ultro rationes amplecti, Deumque in primis publicis a nobis indictis precibus, toti Regno propitium conciliare; muneris tui, ac dignitatis oblitus, ad ea potius converſus es ſequenda conſilia, quibus, per populorum ſciſſuram, extrema expectari univerſi regni, immo & religionis, pernicies. Id vero, quanto totius reipublicæ ſcandalo, quanto nominis tui dedecore, quantâ eccleſiaſtici ordinis invidiâ, (niſi Deus averterit) eventurum ſit, nec nos explicare pro dignitate poſſumus, nec tu forte ſatis intelligere. Quis enim probus, ac vere catholicus, ſine indignatione, audiat, hæc omnia, quanto cum regni periculo, Hæreticorum armis in patriam inductis, Sacerdote Dei, Epiſcoporum regni Primate, romanâque inſuper purpurâ condecorato, non aſſentiente ſolum, ſed auctore, ac duce, patrata fuiſſe? Illaque Romano nequicquam re-*

cla-

Digitized by Google

clamante Pontifice, & imminentem regno cladem, ac Religioni probrum, exitiumque, fruſtra obtendente? Scilicet regni malis, te judice, percurri non poterat, niſi Hæreticorum arbitrio a primo regni Sacerdote Reſpublica committeretur? Et firma, ſolidaque pax, quæ Chriſto in terras veniente nuntiata, ad cælos aſcendente relicta eſt, ab heterodoxis, hominibus malæ voluntatis, & Eccleſiæ Chriſti hoſtibus, unice expectanda erat? Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut Medicus non eſt ibi? An non erat inter nos ſapiens quiſquam, qui inter fratres noſtros judicare poſſet; itaut, quod olim exprobravit Apoſtolus, auderemus judicari apud iniquos, non apud ſanctos? Falleris profecto, Dilecte Fili noſter, jungens amicitiam cum habitatoribus terræ alienæ, qui erunt tibi in ruinam; ſperanſque in baculo arundineo atque confracto Ægypti, ſuper quem incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam. Quoniam vero rem iſtam eo jam adductam videmus, ut niſi deteriora in dies pericula ſubire velimus, tuamque etiam perſonam, ac dignitatem, de qua, pro muneris noſtri debito, ſolliciti eſſe volumus, ac debemus, periclitari patiamur, validiori prorſus remedio utendum eſt.

Hæc ſolummodo recitaſſe, ſatis eſt, ut judicet, quicunque leget, ſi partium ſtudio non teneatur verique ſit, & æqui amans, quiſnam in Polonia fuerit, Pontifex ne, an alius, fautor malorum, oppreſſor innocentium, hoſtis populi catholici, & inauſpicatiſſimi belli fomes? Quiſnam Poloniæ calamitate aggravaverit, atque produxerit? Et quas turbas ſedare debuiſſet, ſufflaverit; & cum religionis debuiſſet curam agere, regionis ſtudio ſe teneri oſtenderit Pontifex profecto, voce, ſcripto, lacrymis, haud unquam ceſſavit bellum, non fovere, ſed extinguere; ſimul-

Digitized by Google

ſimultates non irritare, ſed componere; Catholicos non diſperdere, ſed ſervare. Quibus ſane operibus, & vere Chriſti Vicario dignis, bonorum potius fautor, innocentium protector, catholicique popoli Pater, haud dubie oſtendebatur. Toleraſſet quidem Pontifex, Epiſcopos illos, qui ab Auguſto Rege deſciverant, diadema Electo noviter Regi imponere, ſi ex regno monſtrum fieri gaudens, in uno corpore duo eſſe capita voluiſſet. At hoc alienum prorſus ab eo erat, qui pacem tenebatur ponere, ut ſchiſmata foveret; & qui unum Regem jam ex Polonorum voluntate cognoverat, illo ſuperſtite, & a majori Reipublicæ parte etiamnum per Rege habito, alium non poterat Regem, ſine ſchiſmatis diſcrimine, tolerare.

Abſurdum autem tibi videtur, in Eccleſiæ Viros a Pontifice inquiri, etiam ſuper ea, quæ religionem non ſpectant? Igitur ſi in eoſdem inquirere non valet Eccleſiæ Princeps, ſæcularis Poteſtas de iis, quæ religionem non ſpectant, judicabit? Pape! Iſta ne ſunt decora, quibus eccleſiaſticum Poloniæ ordinem honeſtas? Quum Eccleſiaſticorum libertatem contendis peſſundare, iiſdem protector videri cupis, & non potius hoſtis implacabilis, & Eccleſiæ univerſæ nequiſſimus perturbator? Sane quidem oſtendis, in Catholicorum rebus te turpiter peregrinari; quandoquidem ea neſcis, quæ apud nos, & impræſentiarum intemerate ſervantur, & a primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt apud pientiſſimos ſeculi Principes omni tempore cuſtodita.

In cauſa Fidei omnes ſive eccleſiæ, ſive ſæculi homines, apud eccleſiaſticos Judices judicandos eſſe; in omni vero cauſa per eoſdem inquirendum, in ecle-

cleſiaſtici ordinis viros, & non per laicam poteſtatem, expreſſiſſimâ lege ipſoſmet Imperatores declaraſſe, teſtis luculentiſſimus S. Eccleſiæ Doctor Ambroſius, epiſtola 13. Valentiniano juniori Auguſto ſcribens. *Nec quiſquam contumacem judicare me debet, cum hoc aſſeram, quod auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit: In cauſa Fidei, vel alicujus Eccleſiaſtici ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis. Hæc enim reſcripti verba ſunt: Hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare*: Hinc Theodoricus ipſe, tametſi ariana labe fœdatus, Epiſcopi cauſſam, perduellionis criminis apud eum accuſati, a Mediolanenſi Epiſcopo voluit judicandam; ut apud Caſſiodorum legitur lib. 1. variar. Epiſt. 9. apud quem idem Theodoricus Petro Epiſcopo ſcribebat. *Cauſarum veſtrarum qualitas vobis debet judicibus terminari; unde expectanda magis, quàm imponenda, juſtitia eſt.*

Quid ſi apud Gentiles etiam falſis diis addictorum hominum, Veſtalium ſcilicet, minorumque Sacerdotum, crimina, uni Pontifici maxime judicanda reſervabantur? Plutarchum conſule, Tacitum, Valerium Maximum, Plinium juniorem; vel ſi mavis ex nuperis Scriptoribus Alexandrum ab Alexandro, Gutherum, Germonium, Juſtum Lipſium, alioſque. Quid ſi hebraicæ gentis Levitas, alioſque Templi miniſtros, ab omni ſæculari poteſtate exemtos fuiſſe ſcies, ut late probat Menochius lib. 1. de Repub. Hebræor. cap. 11.? At de noſtris quoque Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, in l. 3. C. Theodoſ. de Epiſcop. judicio, dixerunt: *Habent illi judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus*. Carolus magnus in lib. capitular. cap. 390. *Sancitum eſt, ut nullus*

lus Epiſcopum, aut Sacerdotem, vel Clericum, apud judices publicos accuſare præſumat, ſed apud Epiſcopos. Conſtantinus ipſe, ut cæterorum exempla mittamus, nec quidem legere Epiſcoporum accuſationes voluit, ſed illas Deo, iiſque, qui Dei locum in terris haberent, judicandas reliquit.

Sane Lucius III., ut aliqua etiam ex Eccleſiæ ſanctionibus libemus, Strigonienſi Archiepiſcopo ſcribebat; ut refertur in *cap. Clerici, de judiciis. Clerici verò, maxime in criminalibus, in nullo caſu poſſunt ab alio, quàm eccleſiaſtico judice condemnari, etſi conſuetudo regia habeat, ut fures a judicibus ſæcularibus judicentur: Cum Imperator dicat, quod etiam leges eorum non dedignantur ſacros canones imitari; in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram eccleſiaſtico judice conveniri; nec debeat in parte canonibus ex aliqua conſuetudine præjudicium generari.* In Concilio autem Carthaginenſi III. cap. 9. cautum legimus: *Item placuit, ut quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione; in civili vero perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.* Et refertur in c. *placuit* 2. *quæſt.*1. Item catholicum Concilium Matiſconenſe II., ut cætera brevitatis ſtudio prætereantur, can. 10. ſtatuit: *Quod de Epiſcopis cenſuimus vim obtineat & in Clero, ut neque Presbyter, neque Diaconus, neque Subdiaconus, de Eccleſiis trahantur, aut injuriam aliquam, inſcio Epiſcopo eorum patiantur. Sed quidquid quis adverſus eos habuerit, in notitiam Epiſcopi proprii deferat; & ipſe*

cau-

Digitized by Google

cauſam, *juſtitiâ præeunte*, *diſcutiens*, *animo Clerici accuſantis ſatisfaciat*.

At ne Poloniæ fines progrediamur, Polonæ Gentis hiſtoriæ ſtudioſi omnes norunt, Paulum, Cracovienſem Epiſcopum, initæ conjurationis adverſus Principem Boleſlaum, pudicum, auctorem, turbarumque omnium & cladium incenſorem, cùm Boleſlai juſſu captus, & in cuſtodia detentus a Leſco eſſet, Archiepiſcopo Gneſnenſi toti Provinciæ ſacris eam ob cauſam interdicente, illico dimiſſum fuiſſe, & Eccleſiæ reſtitutum, ut ab Eccleſia judicaretur. Quæ verò Boleſlao II. cum S. Martyri Stanislao, Cracovienſi Epiſcopo, contigerunt, omnibus credimus manifeſta; & nos inferiùs luculentiori calamo expendemus.

Quòd ſi ergo Epiſcoporum, cæterorumque Eccleſiaſticorum cauſas, etiam illas, quæ religionem non ſpectant, non a ſæculari poteſtate examinari & judicari, ſed ab eccleſiaſtica tantùm, non ſolius Eccleſiæ, ſed & Imperii etiam leges, volunt; quis pleniori jure poteſt in eoſdem inquirere, quàm ſummus Eccleſiæ Princeps, Pontifex Romanus, cui omnium eccleſiarum ſollicitudinem dedit Deus, omniumque Eccleſiaſticorum judicium demandavit? Omnis enim eccleſiaſtica poteſtas ſubeſt ei, ſive abusûs correctio, ſive juriſdictionis collatio, ſive conſervatio, & defenſio, inſpiciatur, ſuperioris etiam poteſtatis, a qua inferior dependet; ut latè poſt S. Antoninum, Florentinum Archiepiſcopum, tom. 3. Sum. tit. 22. cap. 3. catholici Scriptores docent. S. Bernardus verò lib. 2. de Conſideratione cap. 8., Eugenio III. ſcribens, expreſſiùs loquebatur. *Sunt quidem & alii cæli Janitores, & gregum Paſtores; ſed tu tantò glorioſior, quan-*

 to

Digitized by Google

tò & differentius præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos greges ſinguli, ſingulos. Tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed Paſtorum omnium tu unus Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? Illius, aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil... Ergo, juxta canones tuos, alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; tua extenditur in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne, ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ, potes? Stat ergo inconcuſſum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.

Pontifices autem non illo tantùm contentos eſſe, aſſeris, quòd ipſis Eccleſia, hoc eſt Epiſcopi deſerviant, ſed Regum quoque ſceptra pedibus ſuis ſubjici velint. Quis hoc tibi credat, cùm ſciant omnes Romanum Pontificem non ſe dominum Epiſcoporum, ſed Patrem haberi velle; ipſoſque Epiſcopos, non ſervos, ſed fratres, & appellare, & reputare? *Conſideres ergo*, eidem Eugenio, lib.4. in fine, Bernardus ſcribebat, *ſanctam romanam eccleſiam, cui Pater es, matrem eſſe eccleſiarum, non dominam; tu verò non dominum Epiſcoporum, ſed unum ex his*. Poſt quæ, inter plurimos honoris & gloriæ titulos, quibus eum proſequitur, dicit etiam eſſe; *Chriſtianorum Ducem, Cleri Ordinatorem, malleum tyrannorum, & Regum patrem*. Reges ergo Pontificum pedibus ſceptra ſubjiciunt,

ciunt, non quidem ut ſervi, ſed ut filii obſequentiſſimi; qui eum ut Patrem experiuntur, quum Reges ſunt; quum verò perfidiâ obdurantur, ut malleum ſentiunt juſtis ſcilicet objurgationibus, juſtiſce tunduntur decretis. Hocce munus Pontificum compertum, perſpectumque tenes in Actis Gregorii VII. adverſus Poloniæ Regem Boleſlaum; illud verò alterum, munus ſcilicet Amoris, officiumque Patris in iiſdem ejuſdemet Pontificis cuiquam, vel luſco inclaret, ſi tamen inviſere non dedignatur ea paternæ benevolentiæ paradigmata, quæ idemet Gregorius Uratiſlao in Polonia regnanti peramanter reſcribit ſic, uti inviſuntur. Lib. 2. ep. 7. *Charitatem veſtram multo ardentiùs, ampliuſque, quaſi quibuſdam animi brachiis, ad vos uſque porrectis, amplectimur, qui mentem veſtram, & deſiderium, magis ac magis, erga reverentiam apoſtolicæ Sedis, accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem Vos diligitis, & cui celſitudinem potentiæ veſtræ humiliatis, copioſa Vobis procul dubio retributionis munera præparabit, & ſuo Vos munimine, tam in præſenti, quàm futuro ſæculo, lætificabit.*

Profectò Polonorum Reges eo ſe pietatis ac religionis ſenſu præditos eſſe demonſtrarunt, ut non ſolùm Pontificum, ſed Epiſcoporum quoque, quum his occaſio ſe obtulit, cenſuram pacato animo ſuſciperent, correctionemque, demiſſo quovis, vel ſuperbiæ, vel iracundiæ, faſtu, ſuſtinerent. Et quod pluris eſt, illorum monitis in meliorem partem acceptis, ad meliorem quoque frugem redierunt. Profecit ſanè plurimum Jagello ex Spignei, Cracovienſis Antiſtitis, opportunâ reprehenſione; profecit Caſimirus III. ex Bozentæ, Cracoviæ etiam Epiſcopi, monitis; profecit Micilaus III. ex Gedeonis, identidem Cracovien-

bs Præſulis, cenſura. Jacobus verò, Gneſnæ Archiepiſcopus in Uladislaum II., ſibi, ſuiſque objurgationibus reluctantem, anathematis fulmen immittere non pavit. Ut cognoſcas, non Pontifici Romano tantùm, ſed Epiſcopis quoque, immo & Diaconibus, ſi Sanctis Patribus habenda ſit fides, Reges ſubjici, quum propter ipſorum crimina, eorumdem increpationibus obnoxios ſe ipſos reddunt. Quod S. Joannes Chryſoſtomus, Diaconum ſuum alloquens, hom. 13. in Matth., verbis hiſce inculcabat. *Si Dux quiſpiam, ſi Conſul, ſi is, qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, & coerce: Majorem tu illo habes poteſtatem.*

§. VIII.

EPISTOLA:

ENim verò a Religione, cui innutritus ſum, diſcedere nunquam conſtitui; cujus veritatem Eccle-
„ ſia in Scriptura ſacra, & SS. Patrum libris, conſer-
„ vat; Sed neque quidquam, quod homini catholico
„ indignum ſit, committam, ſi paria jura defendam,
„ atque eorum, qui, fucatâ religionis ſpecie, ani-
„ mam libertatis conantur extinguere, petulantiam
„ ac injuriam vindicare aggredior. Non hæreſim ali-
„ quam ordior, quum hæc mihi excutienda ſumo.
„ Præiverunt mihi viâ ſapientiſſimi viri, qui in ipſo
„ Eccleſiæ ſinu educati, inque ejus communione con-
„ ſtantiſſimè perſeverantes, labem, abuſumque,
„ Hjerarchiæ romanæ detexerunt, cùm eam non
„ everſam cuperent. Brevi autem gyro me contine-
„ bo, & diffuſiſſimum argumentum intra terminos,

„ quam

Digitized by Google

„ quàm maxime poſſum, conciſos, coercebo, paucis „ abſoluturus momentis, quæ ad uſum præſentis tem- „ poris ſpectare invenientur. „

RESPONSIO.

FUcato quidem artificio aſſeris, te nolle hæreticum eſſe, cùm planè, apertèque, ſchiſmaticum te manifeſtes; at hoc ipſo hæreticus quoque non obſcurè probaris. Aliud certè hæreſis ſibi vult, aliud ſchiſma; cùm hæreſis Fidei opponatur, cujus eſt deſtructio, ſchiſma verò charitati, cujus eſt ſciſſura. Verùm quum ſchiſma, non inter membra, ſed inter caput & membra, intervenit, nequit ſine hæreſi conflari. Hæreſis profectò etiam a capite Eccleſiæ aberrantes ſejungit, cum pertinacia tamen erroris, quòd ſcilicet ſejungi non ſit errare. Hoc idem importat ſchiſma; qua propter eo ipſo quod quiſpiam velit a Romano Pontifice, qui viſibile totius Eccleſiæ eſt caput, diſcedere, vel in uno, vel in pluribus, quæ ab ipſo, tanquam Fidei magiſtro, credenda Fidelibus proponuntur, & ſchiſmatis, & hæreſis etiam, reus eſſe convincitur. Nicolaum I., Romanum Pontificem, præſtat audire, cujus decretum Synodi generalis, ſub Hadriano II., ejuſdem Nicolai in Petri cathedra ſucceſſore, Patres venerabundi amplexati ſunt. *Qui autem romanæ Eccleſiæ privilegium, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur. Fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ eſt Mater Fidei; & ille contumax invenitur, qui eam cunctis Eccleſiis non prætuliſſe cognoſcitur.*

Tu autem hæreſim non ordiris, ſed continuas; nec

nec hæreſim novam tradis, ſed innovas. Præiverunt utique tibi plurimi in Eccleſiæ ſinu educati, ſed non in ejuſdem communione permanentes; niſi poſtmodum ab incepto deſiſtentes errore, ad Eccleſiam, unde deſciverant, regreſſi fortaſſis fuerint. Hoc nihilominus gloriæ tibi ceſſurum credis, quod cùm alii contra romanam Sedem ut hoſtes dimicaverint, ementito ac retento filii nomine tu in eam invehi pertentas. An hoc verò ad declinandum in te pudorem, an ad propagandum errorem in aliis, hoc feceris, quicunque epiſtolam tuam legere voluerint, facili negotio judicabunt. At pluſquam apertos hoſtes domeſticum inimicum ſibi timendum eſſe Catholici omnes norunt; proindeque nec tibi artificia tua, ut dolo, ita & malitiâ, compoſita, profutura, nec noſtris unquam obfutura, confidimus.

Ut quid ergo a Religione nunquam diſcedere conſtituis, ſi jam diſceſſiſti? Noſtrûm autem petulantiam, atque injuriam, vindicabis, quum quam nos, fucatâ Religionis ſpecie, animam libertatis extinguimus, tu, Religione omni poſthabitâ, ſuſcitabis? Egregius ſanè libertatis aſſertor, ſed peſſimus Religionis deſtructor, qui, fucatâ libertatis ſpecie, animam Religionis extinguit! Libertatis jurium propugnator acerrimus, ſed qui jura, quà divina, quà humana, confundit omnia, fædèque perturbat! Verùm hoc nihilominus ſcias, non unam, aut alteram, te hæreſim tuo propoſito apparare, ſed multas; quas te docuiſſe gloriari poteris illos, qui te in romanæ Hjerarchiæ abuſu extirpando ducem habere non dedignabuntur.

Hæc planè Cyprianum lib. 1. cap. 3., alias 55., Cornelio, Romano Pontifici ſcripſiſſe, omnibus noſtræ gentis hominibus notum eſt. *Neque enim aliunde hære-*

hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, vice Chriſti, cogitatur. Cui, ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adversùs Sacerdotum collegium quicquam moveret. Quæ Cypriani verba ne de ſingulis Epiſcopis, & de peculiaribus Eccleſiis, exponas, quemadmodum tui exponere conſueſcunt, alterum ſubjungimus ejuſdem Cypriani teſtimonium, quo Scriptores noſtri præcedentium verborum ſenſum confirmant, & Cypriani mentem expreſſiùs interpretantur. Sic igitur ipſe ep. 8. alias 40. ad Plebem univerſam ſcribebat. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una, ſuper Petrum, Domini voce, fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit.*

His verè ſunt conformia, quæ S. Hieronymus ep. 57. Damaſo, Romano etiam Pontifici, ſcripſit. *Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam, ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigravi, quæ Syriam, juncto Barbariæ fine, diſterminat, nec poſſum Sanctum Domini, tot interjacentibus ſpatiis, a Sanctitate tua ſemper expetere, ideo hic Collegas tuos, Egyptios Confeſſores ſequor, & ſub onerariis navibus parva navicula deliteſco. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Caveat ergo quicunque dictis tuis credens,

deus, labem romanæ Hjerarchiæ, abuſumque, cupit detegere, ne & ipſe labatur. Tu verò eam non everſam cupis, ſed perturbas. At quum niteris pertubare, niteris etiam evertere. In irritum tamen præſtas omnia, cùm adversùs eam non valeant portæ inferi prævalere.

Conſtituis præterea Fidei veritatem in Scriptura ſacra tantùm, & in ſanctis Patribus inquirere, cùm, te judice, Fidei veritatem Eccleſia in Scriptura ſacra, & ſanctorum Patrum libris, conſervet. Concilia ergo rejicies, non contentus Pontifices abjurare? Traditiones nullo habebis loco? Eccleſiæque magiſterium apud te prorſus honore, dignitateque vacabit? At quæ clarior nobis teſſera eſſe poterit ad hæretici hominis mentem detegendam? Volens nolens tandem animi tui ſenſus, quos pridem occultare nitebaris, declaraſti; & Epiſtolæ Auctorem, cujus nomen ſub Poloni Equitis larva ementitus initio fueras, in decurſu heterodoxum revera eſſe, oſtendiſti. Quod quidem Poloni ipſi agnoſcentes, Epiſtolam tuam, tanquam catholicæ Fidei contrariam, Carnificis manu igni Varſaviæ damnarunt, ùt toti chriſtiano orbi, hoc juſto ſupplicio, innoteſceret, nec Equitem Polonum Epiſtolæ fuiſſe Auctorem, nec Auctorem, quicunque fuerit ille, acatholicus certè, gratum, immo moleſtiſſimum catholicæ Reipublicæ accidiſſe.

§. IX.

§. IX.

EPISTOLA.

ET primùm quidem operæ pretium eſt examinare, quo jure innitatur iſta Hjerarchia, quam Ponti-
„ fices Romani ſibi arrogant in ſacris, & politicis.
„ Hoc enim declarato, dilucidiùs apparebit, certiùſ-
„ que conſtituetur, quid conſilii nobis ſit capien-
„ dum. Hîc verò contendunt catholici homines, a
„ Chriſto ipſo inſtitutam eſſe hanc poteſtatem, cùm
„ in Evangelio Matthæi claves cælorum regni Petro
„ dediſſet, eaſque, ſucceſſione nunquam interruptâ,
„ Pontifices Romanos poſſidere. Adverſarii autem
„ non Petro magis, quàm reliquis Apoſtolis, hoc
„ dictum affirmant; quemadmodum etiam hoc mu-
„ nere functos eſſe demonſtrant; nec minori, quàm
„ Petrus, in docendo Evangelio, fuiſſe auctoritate
„ munitos. Iidem etiamſi concederent, Petrum inter
„ Apoſtolos eminuiſſe, inficiantur tamen inde ſequi,
„ ſucceſſoribus ejus eandem, quæ ipſi, competere
„ auctoritatem. Siquidem non eadem in Eccleſia in-
„ ſtituta eſt hujus rei neceſſitas, quæ in inſtituenda
„ fuiſſet; & propterea nullum in Scriptura invenitur
„ veſtigium, quo hoc probari poſſit. Quin potius inde
„ conſtare ajunt, alias Eccleſias, & antiquitate, &
„ flore, romanâ fuiſſe priores; quas hæc pedetentim
„ ambitioſis molitionibus ſubjicere ſibi aggreſſa eſt. „

RESPONSIO.

BElli præliminaria, ut dicunt, apparaſti uſque modo, dicteriis nimirum, conviciis, atque ſcommatis impudentiſſimis, quæ effræno calamo effundere non erubuiſti: Ecce tandem ingreſſus es bellum, quod, ut videmus, contendis non abſimili ratione tractare. Legentes nihilominus, vel tuam Epiſtolam, vel Reſponſionem noſtram, impensè nos deprecamur, ut nobis parcant, ſi ut plurimum nos ſcribere compererint, aut quæ ſcripta ab aliis fuerunt, aut quæ Hæreticorum primores ſcripſerunt. Hec enim referimus ſolùm, ut oſtendamus, te nihil in Epiſtola tua dixiſſe, quod Hæretici majores tui non dixerint: Illud verò præſtamus, ut videatur, te nihil in medium attuliſſe, contra quod catholici Scriptores noſtri non ſcripſerint. Quod propoſitum nobis futurum fore in tota hac Reſponſione noſtra, in ipſo Operis ingreſſu declaravimus, atque hîc inſuper confirmamus.

Tria ergo in hac quaſi altera Operis fronte proponis, quorum unum eſt, cælorum regni claves non uni Petro, ſed & cæteris Apoſtolis, fuiſſe a Chriſto collatas. Alterum, quod etſi Petro ſoli eas tradidiſſet Chriſtus, non per hoc Succeſſoribus etiam illius traditæ haberentur. Poſtremum, romanam Eccleſiam vi atque dolo ſupra cæteras eccleſias principatum ſibi uſurpaſſe; cùm ex Scriptura conſtet, alias eccleſias fuiſſe romanâ quidem, & flore, & antiquitate, priores. Verùm tria hæc quamvis in ſpeciem oſtendas, te non ex tua ſententia proponere, ſed ex Adverſariorum potius ſenſu; quinimmo fatearis deinceps, a noſtris contradici his omnibus, eo quod ſacri iſtius poten-

tentatus jugulum petant : Attamen ulteriora, quæ ſubdis, facili negotio oſtendunt, hæc eâ a te arte fuiſſe dicta, ut orthodoxum nomen, quod in ipſo limine ementitus es, etiamnum ſimulare proſequereris. Cæterum ea ipſa, quæ dicis, quacunque tandem arte dicas, antiquata jam ſunt, cùm a majoribus tuis jam olim nobis fuerint oppoſita, & a noſtris ad evidentiam uſque exploſa receperint. Tu igitur dictis tùis haud facis aliud, quàm recoctam crambem apponere; & quamvis, ut hoc effugere vitium poſſis, ſubjungas inferiùs, a nemine, in hunc uſque diem, objectiones iſtas, quod maximè te velle oſtentas, ſolidè refutatas vidiſſe : Hoc tamen noſtrûm erit, invide non minus, quàm falsò, fuiſſe dictum, oſtendere, hoc tantùm quod enarremus, quodcunque in medium attuleris, & fuiſſe priùs ab errorum tuorum Principibus adductum, & fuiſſe pariter a noſtrorum dogmatum propugnatoribus quàm longiſſimè eliminatum.

A primo incipiamus. Lutherus lib. de Poteſtate Papæ, Calvinus lib.4. Inſtit. cap.6. §.4., Magdeburgenſes cent.1. lib.1., aliique paſſim poſteriorum temporum hæretici, quàm longè tibi in hoc ſcribendo prægreſſi ſunt. Comminiſcebantur ſiquidem omnes, nihil peculiare Petro, filio Jonæ, verbis illis promiſſionem toti Eccleſiæ, & conſequenter cæteris etiam Apoſtolis, fuiſſe factam. Tu autem falleris, ſcribens, Catholicos contendere, pontificiam poteſtatem fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam, quum in Evangelio Matthæi claves regni cælorum Petro dedit. Non enim loco illo, Matthæi ſcilicet 16., Chriſtus Petro claves dedit, ſed ſolùm ſe daturum promiſit. Ait nanque: *Tibi dabo claves regni cælorum*. Catholici verò, quorum etſi tu mentiaris nomen, doctrinam tamen ignoras,

Digitized by Google

ras, verba illa Matthæi 16. ut verba conſiderant, quibus Apoſtolo Petro ſumma poteſtas eccleſiaſtica promiſſa eſt : Verba autem alia Joannis 21. *Paſce oves meas*, ea ſunt, & ea eſſe dicunt, quibus eidem Petro Chriſtus poteſtatem illam demandavit. De cætero, ſive de primis, ſive de ſecundis verbis loqui velis, ea omnia contendunt Catholici ſoli Petro fuiſſe dicta; quod hîc tibi ſumimus oſtendendum.

Porrò ſoli illi Chriſtum promiſiſſe claves, Hieronymus enunciat, qui pridem ſolus Chriſti divinitatem confeſſus fuerat. *Mercedem recepit*, verba ſunt S. Doctoris, *vera confeſſio*. At nunquid cæteri etiam Apoſtoli Chriſto reſponderunt; *Tu es Chriſtus, filius Dei vivi*; quemadmodum reſpondit Petrus? Minimè gentium. Solus Petrus præclaram illam edidit confeſſionem, & in ſua ſola propria perſona Servatoris confeſſus eſt Deitatem. Quaproprer Servator Petri deinde perſonam exprimens, ſuo non tantùm proprio, ſed & Genitoris etiam nomine, a cæteris Apoſtolis Petrum diſtinguens, Petrum alloquens, Petro promittens, dixit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi*; Nota verborum connexionem, pronominis *Tibi* multiplicem repetitionem obſerva, nominis inſuper, a Chriſto recenter impoſiti, conſidera diſtinctionem; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*.

Quòd autem Petrus ita ſolus & primus omnium locutus fuerit, ut non ſolùm alii, quod ipſe dixerat, neutiquam cum ipſo communicaverint, ſed nec etiam ipſe ſciret, quid illi ea de re ſentirent, teſtes mihi ſunt locupletiſſimi SS. Patres plurimi; quorum teſtimo-

monia, etſi à Scriptoribus noſtris pluries laudata, hîc tamen iterum tibi recitare, non prorſus inutile judicamus. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 55. in Matth. hæc habet. *Quod quidem de ſententia vulgi patebat, omnes reſponderunt; cùm verò de ſua eos interrogaret, Petrus confeſtim proſilivit, ac præveniens ait: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi*. Non abſimiliter S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joann. cap. 64. loquitur. *Ut princeps caputque cæterorum, primus exclamat: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi*. Hi duo græci Patres ſunt. Ex latinis autem Hilarium audi, lib. 6. de Trinitate. *In cunctorum Apoſtolorum ſilentio, Dei filium revelatione Patris intelligens*. Auguſtinum ſer. 124. de tempore. *Hic eſt Petrus, qui divinâ revelatione primus omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Chriſtus &c.* Leonem magnum, ut alios quum græcos, tum latinos Patres, quorum non pauca ſumma eſt, conſultò prætereamus, ſer. 2. de SS. Petro & Paulo. *Tandiu reſpondentium ſermo communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur; at ubi quid habeat Diſcipulorum ſenſus exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in apoſtolica dignitate.*

At Patres, fortaſſis obtrudes, qui ſuper illo Matthæi loco ſcribentes, Petrum dixerint, Apoſtolorum omnium nomine Chriſto reſpondiſſe. Immo ſtrictiùs rem agens, conveniens, aſſeris, fuiſſe, ut Chriſto cunctos diſcipulos interroganti; *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* vel reſponderent omnes, vel unus cæterorum nomine loqueretur; cùm aliàs cæteri præter Petrum intempeſtivi utique ſilentii accuſandi meritò fuiſſent, quòd Chriſto, eos omnes interroganti, ipſi reſpondere minimè curaſſent. Affirmavit quidem Auguſtinus, Petrum pro cæteris reſpondiſſe; aſſe-

aſſeruit Hjeronymus, Petrum pro omnibus locutum fuiſſe; Chryſoſtomus demum dixit utique, fuiſſe Petrum os cæterorum omnium Apoſtolorum: At non inde intellexerunt, Petrum ut præconem Apoſtolorum, ſed ut aliorum omnium principem, ipſorum nomine reſpondiſſe. Quodnam Chriſti interrogationi reſponſum darent, cæteri profecto ignorabant, quia de cælo Pater haud quaquam eis revelaverat. Verùm Petri confeſſionem poſtea ſilentio ſuo confirmarunt, ratamque omnes habuerunt; ut proinde per os Petri, quod Chryſoſtomus dicebat, locutos fuiſſe dicerentur.

Quòd ſi alio ab eo, quo nos, juxta Patrum mentem, explicavimus modo, tu forte intelliges, Petri voce cęteros Apoſtolos reſpondiſſe, a ſanctę Scripturę verbis longiſſimè quidem diſtabis. Etenim aut vis cæteros Apoſtolos hanc reſpondendi, & hoc pacto reſpondendi provinciam Petro demandaſſe? Et ſic haud quaquã verum eſſe poterit, carnem & ſanguinem Petro verba illa non revelaſſe, ſi eadem Petrus humanâ conſultatione protuliſſet: Aut credis, ſciviſſe Petrum quid eſſent cæteri Apoſtoli reſponſuri? Et tunc haud Chriſtus dixiſſet, Patrem ſuum ſoli Petro, ſed cæteris etiam Apoſtolis, confeſſionem illam retexiſſe. Quocunque ergo te vertas, oportet ut fatearis, Petrum, ut cæterorum Apoſtolorum caput, Chriſto interroganti reſpondiſſe; cujus verbis, non antecedenti voce, ſed ſubſequenti ſilentio, Apoſtoli etiam cæteri ſubſcripſerunt. Petrus verò eadem haud ab Apoſtolis didicit, ſed a Patre, qui, præter carnem & ſanguinem, illa ipſi revelare dignatus eſt. Cùm autem ſolius Petri reſponſio fuerit, ſoli etiam Petro clavium promiſſio facta fuit; quod a nobis, pro pontificiæ poteſtatis promiſſione ſoli

Digitized by Google

ſoli Petro facta, oſtendendum erat. Ad ejuſdem modò traditionem deveniamus.

Sanè cùm Chriſtus priùs dixerit Petro: *Diligis me plus his?* Et cùm deinde ad Petri reſponſum ſubdiderit: *Paſce oves meas*: Pervium eſt, ſoli Petro dixiſſe: *Paſce oves meas*; quia ſolum Petrum de ſua erga ſeipſum dilectione interrogavit. Quis autem liquidò non percipit, Chriſtum Petrum ſolum de dilectione interrogaſſe, cùm cæteri in ipſamet interrogatione non includantur? Dicit enim; *diligis me plus his?* Facit ergo comparationem inter illam ſolius Petri, & cæterorum Apoſtolorum, dilectionem; & hac num illa Petri ſit major, interrogat. Quod cùm a Petro percepiſſet, illico Petro, plus cæteris diligenti, ut oves paſceret, commiſit; non verò aliis, qui minus Petro diligebant. Ter præterea, ex Patribus Cyrillo, & Auguſtino, Petrus fuit a Chriſto interrogatus, num plus cæteris diligeret; eo quia Petrus ter quoque Dominum antecedenter negaverat. Solus autem Petrus ter Dominum negavit. Solus igitur ipſe in dilectione ter a Domino interrogatur; ac proinde ſoli ipſi a Domino dictum eſt, quod ad trinam interrogationem conſequens erat: *Paſce oves meas*.

At tu Lutheri, Calvinique, dictis inhærens forſitan, ex Patribus opponere vis quoſdam, qui, tuo judicio, dixiſſe feruntur, non tantùm Petro, ſed & cæteris Apoſtolis, collatas claves, commiſſaſque oves, a Chriſto Domino fuiſſe. Expendamus Patres, & primo loco Cyprianum, cujus verba, in libro de Eccleſiæ unitate, errori veſtro favere, Sectarii tui ſibi immeritò blandiuntur. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus; pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur,*

tur, *& primatus Petro datur*, *ut Eccleſia una monſtretur*. Igitur, te interprete, immo & judice, non alia de cauſſa Cyprianus voluit, Petro datas ſeorſim claves, quæ deinde datæ ſunt omnibus, quàm ut Eccleſiæ unitas in uno Petro ſignificaretur. Horum autem Cypriani verborum ſenſum meliùs profectò, quàm per Lutheri, vel Calvini, mentem, per magni Leonis verba, aſſequi poſſe putamus. En ergo quæ S. Leo, ep.84. ad Anaſtaſium, Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſcribit. *Inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis*; *& cùm omnium par eſſet electio*, *uni tamen datum eſt*, *ut cæteris præemineret*. Pares igitur Apoſtoli fuerunt honore, & poteſtate, quæ apoſtolica fuit, quia omnes æqualiter Apoſtoli fuerunt; non autem inter ſe fuerunt pares, quia uni datum eſt, ut cæteris præemineret.

Verùm quid ſatius, quàm Cypriani verbis Cypriani mentem explicare? In eodem, quem laudavimus, libro, Eccleſiæ unitatem Sanctus Martyr exponens, & quâ ratione exordium ab uno fieret, diſertis verbis aſſerit, Eccleſiam eſſe unam, eo prorſus modo, quo omnes Solis radii unum lumen dicuntur, quia ab uno Sole promanant; quo multi rivuli una aqua, quia ab uno fonte procedunt; quo rami plures una arbor, quia ab una radice pullulant. Atqui radix hæc, hic fons, ſol iſte, ex quo Eccleſiæ unitas ſumitur, Cypriano etiam perhibente, lib.1. ep.3. ad Cornelium, lib.4. ep.8. ad eundem, ep. itidem ad Jubajanum, & alibi fortè, non aliud eſt, quàm Petri Sedes. En ergo quâ ratione, juxta Cyprianum, exordium ab unitate proficiſci, ut Eccleſia una monſtretur, non idem ſit, ac Petro fuiſſe priùs datam poteſtatem, quæ cæteris deinde collata eſt, ſed potius Eccleſiam in uno Petro cæ-

Digitized by Google

cæpiſſe, tanquam in fundamento & capite, ut Eccleſia, ex eo quod unum fundamentum haberet & caput, una tantùm eſſe monſtraretur. Tædet plura excribere; fuſiora ſi cupis, Scriptores noſtros conſule, apud quos Patrum teſtimonia rectè invenies expenſa, quæ nobis tui opponere conſueverunt.

Ad alterum modò aſſertionis tuæ caput deveniamus. Aſſeris, quod, etſi ſoli Petro claves tradidiſſet Chriſtus non per hoc tamen Succeſſoribus etiam ejus traditæ haberentur. Verùm ſi, ut dictum ſuperiùs eſt, ſoli Petro claves traditæ Eccleſiæ indicant unitatem, Eccleſia, quæ tunc una erat, & una eſſe debebat, fortaſſe modò deſiit eſſe una, aut una eſſe non debet? Si Petro commiſſæ oves ſolum Petrum demonſtrant eccleſiaſtici ovilis fuiſſe paſtorem, fortè ceſſavit poſt Petri mortem ovile, cùm ceſſaverit Paſtor? Vel ſi ovile manet, & ad mundi uſque conſumationem manebit, quare etiam manere non debebit paſtor, non quidem in Petro, qui vivere jam deſiit, ſed in Succeſſoribus ejus, in quibus, Petro etiam mortuo, vivit Petri dignitas, atque poteſtas? Hinc Auguſtinus ep.162. apertiſſimè teſtabatur; *in romana Eccleſia ſemper apoſtolicæ cathedræ viguit principatus*. Et S. Gregorius Nazianzenus, in brevi homilia de creatione Epiſcopi Doarorum, de romano Pontifice ſcribebat. *Non venimus in magni illius paſtoris contemtum & ignominiam, qui ſplendidæ civitati præſidet: Honorabilem ſcimus, caput agnoſcimus, ſanctum vocamus, tametſi injuriâ affecti: Tantùm indulgentem & humanum Patrem filiis ſe præbeat, totique Eccleſiæ ſedulò proſpiciat*. Et S. Petrus Chryſologus, ut pene alios innumeros omittamus, in epiſtola ad Eutychetem, quæ refertur 1. part. Concilii Chalcedonenſis

n.15., de Petri ſucceſſoribus aſſerebat. *In omnibus autem hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ a beatiſſimo Papa romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & Fidei, extra conſenſum romanæ civitatis Epiſcopi, cauſas Fidei audire non poſſumus*.

• Sed hæc, jam ante Majores tuos, Nilus, Theſſalonicenſis Epiſcopus, in libro adversûs Papæ primatum, ſcripſerat; quæ poſtmodum Lutherus, Calvinus, Illyricus, Magdeburgenſes, cæterique excripſere, a quibus tu etiam deſumſiſti. Non enim Nilus Petro primatum contendebat, ſed Petro in primatu illo romanum Pontificem neutiquam ſuccedere, arbitrabatur. Contra quem, alioſque ejuſdem erroris aſſeclas, Scriptores noſtri, ſic luculenter, ſic perſpicuè, argumentati ſunt, ut miremur valde, te eadem voluiſſe ſic prorſus intempeſtivè repetere. Audi tamen Concilii Patres, qui can.39. inter 80. Arabicos, primo Conciliorum tomo contentos, ita de Petri, ita de Succeſſorum ejus primatu loquuntur, ut tibi, aliiſque tui ſimilibus, ulterius alloquendi adimant voluntatem. *Ille, qui tenet Sedem Romæ, caput eſt & princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes chriſtianos, & omnes Populos eorum; ut qui ſit Vicarius Chriſti ſuper cunctos Populos, & cunctam Eccleſiam chriſtianam & quicunque contradixerit, a Synodo excommunicatur*. Plura de his dicere ſuperſedemus, inferiùs enim de iiſdem iterum atque iterum redibit ſermo, quemadmodum de altero, quod nuper tetigiſti; ſed infra latiùs exagitas.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

EPISTOLA.

IMmo ulteriùs procedunt, oſtendendo Petrum nunquam fuiſſe Romæ, ſed ficta eſſe omnia, quæ de
„ Sede apoſtolica, illic ab illo collocata, traduntur.
„ Cum variis locis Petrus doctrinam de Chriſto prædicaſſet, Eccleſiaſque fundaſſet celeberrimas, ſicut
„ Hieroſolymæ, in Samaria, Syria, & Aſia, feciſſe illum conſtat; pari, ſi non majori, jure prætendunt,
„ earum Eccleſiarum Antiſtitibus auctoritatem, quam
„ romana ſibi vindicat, attribui poſſe. Poſtulare eos
„ fidenter audies, ut idoneo aliquo teſte demonſtretur, Petrum ſupremam apoſtolatûs ſui vim romano alligaſſe ſolo; adeo ut ibi, non pariter alibi,
„ exerceretur. Certè excipiunt riſu hanc traditionem, dicentes abſurdius poſtea ſtatui nihil, quàm
„ affirmare, Petrum, ſi vel maximè fuiſſet Romæ, in
„ tanto tunc Reipublicæ vigore, ac florente Cæſarum
„ potentia, auſum fuiſſe aliquam auctoritatis particulam exercere, aut in minimum Quiritem, aut in
„ ſervulum, jus ſibi vindicare. Adeo quantùm in
„ illis eſt, ima romanæ Hierarchiæ fundamenta ſubruere non verentur. Etenim hiſce a noſtris contradici certum eſt; nec mirùm, cùm jugulum petant
„ ſacri iſtius potentatus, & per conſequens omnium
„ eorum, qui ab eo prærogativas ſuas accerſunt. Sed
„ ſi verum fateri velim, a nemine in hunc uſque diem
„ objectiones iſtas, quòd maximè vellem, ſolidè refutatas vidi; neque ullo verbo, quod ex ſacra Scrip-

„ tura adductum eſſet, Hierarchiam hanc ſtabilitam.
„ Cogitavi ab initio a calumnia Adverſariorum hæc
„ eſſe profecta, exhorruique ad ignominioſam adeo
„ Sedi romanæ doctrinam. Sed cùm viderem, debile
„ præſidium adeſſe illis, qui tueri illam debuiſſent,
„ indolui, vehementiſſimis Hæreticorum tormentis
„ concuti arcem capitolini Patris, laxarique compa-
„ gem iſtam, non firmo adeo coagmentatam cæ-
„ mento. „

RESPONSIO.

PEtrum haudquaquam Romæ fuiſſe, etſi ex aliena ſententia nobis obtrudas, tuo etiam judicio probare legentibus, non obſcurè ſignificas. Rancidus quidem error, quem politiores quoque Heterodoxi in medium ponere, hac præcipuè tempeſtate, erubeſcunt. Poſt decem & ferè quinque ſæcula, quibus toto orbe terrarum certiſſimum homines habuere, Petrum & Romæ fuiſſe, & Romæ fuiſſe Epiſcopum, & Romæ demum vitam cum morte, ſeu potius cum gloria, feliciter commutaſſe, decimoquinto tandem ſæculo Guillelmus quidam, Joannis Vviclefi magiſter, primus omnium aſſerere auſus eſt, nec Petrum Romæ fuiſſe Epiſcopum, nec Romæ paſſum & mortuum, nec Romam ipſam unquam vidiſſe. Refert Thomas Vvaldenſis, lib. 2. doctrin. Fidei art. 1. c.7. Majores autem tui, quibus nulla fæditas non placuit, nulla fatuitas non arriſit, quàm alii, qui poſt Guillelmum Novatores fuerunt, inſaniam deſpexerant, apertis ulnis amplexi ſunt. Hinc Illyricus in libro, quem contra Papæ primatum ſcripſit, demonſtrationem jactabundus protulit certam eſſe, Petrum Romæ non fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe. Calvinus autem modeſtiùs agens, lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 15., non demonſtrationem, ſed dubiam voluit rem eſſe. Subdens tamen; *propter Scriptorum conſenſum non pugno, quin illic mortuus fuerit; ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.* Non abſimilia Magdeburgenſes habuere Cent. 1. lib. 2. cap. 10.

Unus denique Udalricus Valenus, lutheranæ hæreſis Sectator, præ cæteris rem ex profeſſo tractare conatus eſt. Librum hac de re integrum ſcripſit, & decem & octo perſuaſionibus, quas vocat, ad oculum uſque demonſtraſſe putat, nec Petrum unquam fuiſſe Romæ, nec Petrum, nec Paulum, Romæ, ſed Hieroſolymis, fuiſſe occiſos. In hoc autem aſſerendo, ac defendendo, illud Heterodoxis propoſitum eſſe, non ambigimus, ut ſeſſionem S. Petri Romæ inficiantes, romani Epiſcopi primatum, a S. Petro derivatum, fortiùs impugnent. Verùm Scriptores noſtri adeo perſpicuis documentis contrarium demonſtrarunt, ut recentiores Heterodoxi nihil de ipſa re dicere, tanquam convicti, quod ſi non verbo, ſaltem ſilentio manifeſtant, auſi ſint; & uni tantùm aut alteri homunculo, plebis linguâ loquenti, quod omnes doctiores reſpuunt, putidum commentum, hoc etiam tempore, pergratum evadit.

Verùm Petrus ipſe fatetur ſuum in Romana Urbe incolatum, cùm in fine prioris ſuæ epiſtolæ ſcribat: *ſalutat vos Eccleſia in Babylone collecta*. Babylonis nomine Romam intellexiſſe, teſtis eſt Papias, Apoſtolorum diſcipulus, apud Euſebium, lib. 2. Hiſtor. eccleſ. cap. 14., cui ipſemet Euſebius ibidem aſſentitur. *Conſtat porrò Petrum hujus Marci mentionem facere in priore epiſtola, quam Romæ texuiſſe dicitur:*

Quam

Digitized by Google

Quam quidem epiſtolam ibi præſcriptam oſtendit, dum civitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat, hoc modo: Salutat vos Eccleſia, noſtræ electionis conſors, quæ eſt Babylone, & Marcus, filius meus. Hieronymus etiam, in libro de Viris illuſtribus, in Marco teſtatur. *Petrus in Epiſtola prima, ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans, ſalutat, inquit, vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Tu autem ne Eccleſiam cum Civitate confundas. Civitatem quidem Romanam Babyloniam vocavit Petrus; Eccleſiam verò Romanam Babyloniam vocant Conſectarii tui. Unde Lutherus libros inſcribere de Babylonica Captivitate non erubuit. At Petrus rectè Urbem ab Eccleſia ſecrevit, dicens; *ſalutat vos Eccleſia*, non quæ eſt Babylon, ſed *quæ eſt in Babylone collecta*.

At ſi Petrus Romæ non fuit, quiſnam igitur romanam Eccleſiam primò fundavit? Paulum, dices. Verùm antequam Paulus Romam veniret, Fideles non pauci Romæ reperiebantur. A quo ergo Fideles iſti Fidem audierant, a quo baptiſmum receperant? A Petro, aſſerunt Sancti Patres vetuſtiores, & Apoſtolorum temporibus proximiores. Irenæus, qui ſecundo ſæculo floruit, lib. 3. adv. hæreſ. cap. 3. *maximè, & antiquiſſimè, & a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ &c.* Tertullianus, qui tertio ſæculo ineunte ſcripſit, lib. de baptiſ. *Nec quiſquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tyberi tinxit.* Clemens Alexandrinus in lib. Hypotip. *Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publicè prædicaſſet, & Spiritu ſancto afflatus Evangelium promulgaſſet.* Epiphanius hæreſi 27. *Romæ primi omnium, & Petrus, & Paulus, Apoſtoli pariter, & Epiſcopi, fuerunt.* Euſebii autem,

Ar-

Digitized by Google

Arnobii, Oroſii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, verba, hoc idem diſertè perhibentia, apud noſtros Scriptores facilè invenies.

Quòd ante Pauli adventum in urbem Romam, ibidem Fideles fuerint, nemo ſanè judicabit, cùm ſatis perſpicua ſint verba ejuſdem Pauli cap. 1. ad Romanos ſcribentis. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.... Nolo autem vos ignorare, Fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in cæteris gentibus*. Barnabam, quidam ex veſtris effutiit, in romana prædicatione Paulum anteceſſiſſe. Hoc ſanè commentum ex eo tantùm rejicere quilibet non mentis inops deberet, quod de illo nullum apud recenſitos Patres teſtimonium, nullum verbum apud unum ſaltem ex ipſis reperiatur: Cùm tamen ferè omnes aſſerant, Petrum primò Romæ prædicaſſe, romanam Eccleſiam fundaſſe, Romanos Chriſto per Fidem, & per baptiſmum, peperiſſe. Verùm, quod pluris eſt, nullus auſus fuit Gentibus prædicare, antequam Petrus, cæleſti viſione, & oraculo, ad id muneris ſubeundum divinitus excitaretur; ut Actorum 10. conſtat. Ex illo autem tempore Barnabas ſemper Paulo individuus comes adhæſit; unde ante Paulum, nec Romam videre poterat, nec Romanis Evangelium annunciare.

Romæ etiam mortuus eſt Petrus, & ad mortem uſque romanam rexit Eccleſiam. Teſtes luculentiſſimos Patres habemus. Tertullianum cap. 36. de Præſcript. *Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſtò eſt. Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profude-*

fuderunt! Ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur. Euſebium lib. 2. Hiſt. eccleſ. cap. 24. *Paulum proinde Romæ eo regnante (Nerone) ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Quin etiam inſignis ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio, quæ in Cæmeteriis Romæ, ad hoc uſque tempus, manet, hujus rei geſtæ fidem facit*. Præterimus conſultò, ne diſſertationem hac de ſola re facere videamur, Athanaſium, Ambroſium, Hieronymum, Theodoretum, Auguſtinum, cæteroſque Patres; Lactantium verò præterire non poſſumus, qui quamvis de tempore, quo Petrus Romam venit, non conveniat, ſubſtantiam tamen adventûs, veritatemque paſſionis, & loquitur expreſsè, & luculenter teſtatur.

Lactantius igitur lib. 4. inſtit. divin. c. 11. ait. *Sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt.... Itaque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Judæorum gentem & nomen Veſpeſianus extinxit. Et in libro de mortibus Perſecutorum inquit. Cum Nero jam imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, datâ ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele & ſtabile collocavit. Quâ re ad Neronem delatâ, cùm animadverteret, non modo Romæ, ſed ubique, magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad Religionem novam, damnatâ vetuſtate, tranſire, ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, proſilivit ad excidendum cæleſte templum, delendamque juſtitiam; & primus omnium perſecutus Dei Servos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit.* Denique Valeni ratiunculas haud quidem tanti facimus, ut in illis expendendis perperam velimus tempus

pus terere. Scriptores noſtri, quibus opportunitas fuit, nullius quidem ponderis fuiſſe, demonſtrarunt.

At tu iterum inſurgens, ais; quòd etiamſi Petrus Romæ fuerit, cùm fuerit etiam alibi, pari, immo potiori jure, aliarum Eccleſiarum Antiſtites, quas Petrus alibi fundavit, vindicare ſibi poterunt auctoritatem, quam Romanus Antiſtes uſurpavit. Cur igitur ſolus Romanus Epiſcopus in univerſalis Eccleſiæ principatu Petro ſuccedit, & non potius alius ex cæteris Epiſcopis, qui in Eccleſiis ſunt, quas Petrus quoque fundavit? Multas quidem Eccleſias fundavit Petrus, ſed non ſingularum Eccleſiarum, quarum fundator fuit, etiam fuit Epiſcopus. Sejunge ergo Eccleſias, quas ut Epiſcopus Petrus gubernavit, ab Eccleſiis, quas ut Apoſtolus inſtituit, ſed ut peculiaris Paſtor non rexit; noſque dicemus tibi, ſolum unum ex Epiſcopis illis, qui Sedes implerunt, quas impleverat Petrus, Petro in univerſalis Eccleſiæ gubernio ſuccedere debuiſſe. Epiſcopi verò illi, qui illas rexerunt Eccleſias, quas Petrus non rexit, ſed fundavit, cùm haud quaquam Petro in epiſcopatu ſucceſſerint, nec eidem ſuccedere in pontificatu debebant.

Ad quid ergo Hieroſolymam, Samariam, Syriam, Aſiam, aliarumque Urbium, vel Provinciarum, Eccleſias in medium ferre, quas non ut Epiſcopus Petrus rexit, ſed tantùm ut Apoſtolus fundavit? De Antiochena ſolùm Eccleſia, quæ adhuc in Aſia eſt, loqui jure aliquo poteras; cùm eam non tantùm ut Apoſtolus fundaverit Petrus, verùm quoque gubernaverit ut Epiſcopus. Attamen cùm Antiochenum Epiſcopatum ad mortem uſque non retinuerit, immo, ſe quoque vivente Evodium, Epiſcopum Antiochiæ

Digitized by Google

præfecerit, & ſolam Romanam Eccleſiam ad finem uſque vitæ ut Epiſcopus rexerit; inde evenit, quòd ſolus Romanus Epiſcopus, non autem Antiochenus, pontificiæ poteſtatis hæres remanſit. Mortuo enim ſucceditur, non viventi; & qui hæres eſt mortui, jurium omnium, quæ mortui erant, hæres eſt, & ſucceſſor. Cùm ergo Petro jam mortuo ſolus Romanus Epiſcopus ſucceſſerit (jam enim tempore mortis Petri, immo vivente Petro, Antiochia ſuum habebat Epiſcopum) jure quidem ſolus Romanus Epiſcopus, non in ſolo Romano Epiſcopatu, ſed in pontificiæ etiam poteſtatis amplitudine, Petri hæres fuit, & in omnibus ejuſdem poteſtatis juribus Succeſſor eſt appellatus.

Verùm hæc omnia firmioribus probanda ſunt monumentis. Primo loco oſtendere oportet, Romanum Epiſcopum Petro in Epiſcopatu ſuccedere; ſecundo autem ſuccedere etiam in Pontificatu. Primum actum credimus, ſi ſemel oſtendemus, Petrum Romę fuiſſe Epiſcopum, & ut Romanum Epiſcopum ſupremum diem obiiſſe; hoc eſt ad mortem uſque Romanum Epiſcopatum conſervaſſe, nec Romanam Cathedram deſeruiſſe unquam, niſi quum vitam coactus eſt deſerere. Vetuſtiores Patres uno ſenſu, unoque ore, Romanam Cathedram laudarunt, quam Petrus implevit. Epiphanius hæreſ. 27. *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt.* Cyprianus lib. 1. ep. 3. ad Cornelium. *Navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, a Schiſmaticis & profanis literas ferre, nec cogitare, eos eſſe Romanos (quorum Fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Optatus Milevitanus

Digitized by Google

nus lib. 2. contra Parmenianum. *Cathedra unica eſt, quæ eſt prima de dotibus. Sedit prior Petrus.* Hieronymus ep. 57. ad Damaſum. *Beatitudini tuæ, ideſt Petri Cathedræ, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani Donatiſtæ cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? Vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Jacobus ſedit, & in qua hodie Joannes ſedet?* Plures alios, apud Scriptores noſtros legendos, miſſos facimus.

In hit autem omnibus obſervari quàm maximè volumus, Romanæ Eccleſiæ, non Hieroſolymitanæ, Epiſcopum dici Petrum ab Auguſtino, quamvis, ut aſſeris, Hieroſolymitanam Petrus inſtituerit. Præterea quia Romanam Sedem primò Petrus erexit, ac primò implevit, Patres eandem appellare apoſtolicam conſueverunt. Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes Romanam Cathedram apoſtolicam dixit. Cathedram apoſtolicam appellavit etiam Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 51. Apoſtolicam Sedem Vincentius Lyrinenſis in commonitorio 1. adversùs hære. c. 5. nuncupavit. Non ergo ſunt ficta, quæ de Sede Apoſtolica, Romæ a Petro collocata, traduntur. Immo nec nova, cùm apertè Auguſtinus in epiſ. 162. ſcripſerit. *In Romana Eccleſia ſemper apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Quæ cùm ita ſint, Optati Milevitani verbis, lib. 2. contra Parmenianum, te quoque compellimus. *Igitur negare non potes, ſcire te in urbe Roma a Petro primùm cathedram epiſcopalem eſſe collocatam.* Quòd ſi Petrus Epiſcopus Romæ ſedit, & ad mortem uſque romanam Sedem implevit, evidens eſt, Romanum

 Epi-

Digitized by Google

Epiſcopum Petro in romano Epiſcopatu ſuccedere :

Romanum pariter Epiſcopum Petro ſuccedere in univerſalis Eccleſiæ principatu, non tantùm ex traditione conſtat nobis, quæ quidem conſtans eſt & perpetua, quamvis, te aſſertore, a Conſectariis tuis riſu excipiatur: Verùm quoque ex divino jure diſcimus, ex ſucceſſionis ratione, ex Conciliorum auctoritate, ex Patrum denique confeſſione. Ex divino etenim jure certum omnibus eſſe debet, Petro aliquem hominem debere in pontificia poteſtate ſuccedere; cùm illud idem jus divinum, quod Petro hanc poteſtatem tribuit, Succeſſoribus etiam ejus tradendam eſſe voluerit. Non enim propter Petrum inſtituta a Chriſto fuit poteſtas illa in Eccleſia ſumma; ſed potius propter illam poteſtatem electus eſt Petrus. *Quòd Chriſtiani ſumus*, appoſitè loquebatur Auguſtinus, libro de Paſtoribus & de Ovibus, cujus meminit Poſſidius in Indiculo c. 1., *propter nos eſt*; *quòd præpoſiti ſumus*, *propter vos eſt*.

Si ergo propter Eccleſiam Petrus factus eſt Pontifex, cùm modò Eccleſia Paſtore etiam egeat, ſicut Petri tempore egebat, modò pariter debet Pontifex eſſe, qui eam regat; adeoque Petro Pontifices alii debent in ſuprema poteſtate ſuccedere. Etenim ſi Petro moriente mortua quoque fuiſſet pontificia poteſtas, non Petrus propter poteſtatem, ſed poteſtas propter Petrum, inſtituta eſſet. Quod cùm non fuerit, planè liquet, pontificiam poteſtatem tandiu debere in Eccleſia durare, quandiu Eccleſia ipſa durabit; ut eadem in Paſtorum unitate, vigilantia, cura, omni tempore, indefectibiliter conſervetur.

Si igitur conſtat, hominem unum debere Petro Succedentibus temporibus in pontificia poteſtate divino

Digitized by Google

vino jure ſuccedere, reliquum eſt ut oſtendamus, hunc non alium, quàm Romanum Pontificem eſſe debere. Sanè hîc affirmare non intendimus, quod ex Chriſti inſtitutione ſit factum, ut Epiſcopus romanus ſit Petri in pontificatu ſucceſſor. Scimus enim, hoc ex Petri facto proveniſſe; cùm Chriſtus hoc tantùm inſtituerit, ut is Petro in pontificatu ſuccederet, qui ipſi ſuccederet in epiſcopatu, quem ad mortem uſque tenuiſſet. Hoc nemo inficias ibit; etenim ſi conceditur, Chriſtum inſtituiſſe aliquem Petro in pontificia poteſtate ſucceſſurum, ut ex nuper & alibi probatis liquidò patet; aliquis iſte haud alius eſſe poterat, quàm qui verus Petri ſucceſſor, verus Petri hæres futurus erat, & qui proinde in omnibus Petri juribus ſuccedere habebat. Quòd verò iſte, Epiſcopus Romanus fuerit, & non alius, ex Petri facto ortum habuit; quia Petrus poterat, vel nullam peculiarem Sedem habere, vel Antiochenam ad mortem uſque retinere, vel aliam alibi erigere, & per totam vitam implere. Quæ ſi feciſſet, non Epiſcopus Romanus, ſed vel is, quem ſibi univerſalis Eccleſia elegiſſet, vel Epiſcopus Antiochenus, vel alterius illius urbis Epiſcopus Petro in pontificatu ſucceſſiſſet. Hoc verò cùm non fecerit Petrus, & romanam tantùm Sedem ad mortem uſque retinuerit, conſequens eſt, ut ſolus Romanus Epiſcopus ipſi in pontificia poteſtate, jure etiam divino, ſuccedat.

Jure diximus divino, quatenus Chriſtus illum hominem inſtituit Petro ſucceſſurum in pontificatu, qui Petro in epiſcopatu mortem uſque retento, ſucceſſiſſet. Is ſolus Romanus Epiſcopus fuit. Igitur ſolus Romanus Epiſcopus Petro in pontificatu, jure etiam divino, ſuccedit. Requires forſitan, quòd ex

Digitized by Google

Chriſti pariter inſtitutione Epiſcopus Romanus præelectus fuerit, ut Petri eſſet in pontificatu ſucceſſor; & hoc quidem, ut verè dicere poſſemus, Romanum Epiſcopum jure divino Petro in pontificatu ſuccedere? Verùm ſi hoc eſſet, Romani Epiſcopi ſucceſſio in pontificatu jure divino immediatè dicenda eſſet; quòd Scriptores noſtri non aſſerunt. Hoc dumtaxat a Noſtris dicitur, ſucceſſionem illam de jure divino eſſe, prout eſt particularis aliqua propoſitio, in univerſali contenta, quæ de jure etiam ſit divino. Chriſtus nanque in univerſali conſtituit Petri ſucceſſorem; hoc eſt illum, qui Petro in Epiſcopatu, ad mortem uſque retento, ſucceſſiſſet. Petrus verò in particulari deſignavit. Cùm autem illa peculiaris Petri deſignatio intra univerſalem Chriſti inſtitutionem contineatur; inde eſt quod etiam peculiaris Petri deſignatio de jure divino dicitur, non quidem immediatè, ſed mediatè. Quemadmodum ſi Petrus Antiochenam Sedem ad mortem uſque retinuiſſet, jam Antiochenus Epiſcopus Petri in pontificatu ſucceſſor, modò etiam divino jure, diceretur; quia ſicut Petrus generalem illam Chriſti inſtitutionem in Romana Sede peculiarem de facto fecit; ita & in hypotheſi in Antiochena feciſſet. Scholarum vocibus, quas hîc uſurpavimus, parcere habent, qui legent; non enim pro arbitrio, ſed pro neceſſitate, uſi ſumus.

Cæterum ſi unum aut aliud cupis etiam documentum, quo probetur, Petrum ex Domini mandato Romanam Sedem inſtituiſſe, & gubernaſſe, quamvis ex Scriptura non habeatur, ex Patribus tamen antiquiſſimis habetur, quorum traditionem piaculum eſt, immo inſania, riſu excipere. Scriptura quidem nec affirmat, nec negat; ſed merè ſilet. Ipsâ autem ſilente,

Digitized by Google

te, quos alios audire poſſumus, quàm Patres; ſi, te quoque ſuperiùs ſcribente, Eccleſia Scripturam, & Sanctos Patres, amplectatur? Sanctos Patres igitur audiamus. Marcelli Pontificis epiſtolam, ad Antiochenos ſcriptam, non afferimus; de ejus nanque ſinceritate ac genuitate, apud eruditos etiam ex noſtris, non leviter dubitatur. Afferimus tamen Athanaſium, in apologia pro fuga ſua; & Ambroſium, in oratione contra Auxentium, aſſerentes; Petrum, Chriſti juſſu, Romæ martyrium ſubiiſſe. Quòd ſi Petrus ex Chriſti præcepto Romæ mortuus eſt, & iccirco Romanus Epiſcopus Petro in pontificatu, præ Epiſcopo Antiocheno, ſuccedit, quia obiit Petrus, non Antiochiæ, ſed Romæ Epiſcopus; planè ſequitur, ex Chriſti etiam inſtitutione, ſi non expreſſa & clara, contenta ſaltem in præcepto illo, a Chriſto Petro impoſito, Romanum Epiſcopum Petro in pontificatu ſuccedere.

Ordo inſuper ſucceſſionis, quæ diximus, ad oculum uſque demonſtrat. Siquidem nullus alius, præter Epiſcopos Romanum, & Antiochenum, Petri ſucceſſorem nominare ſe poterat; quia ſoli Epiſcopi Romanus, & Antiochenus, de facto Petro ſucceſſerunt: Hoc tamen diſcrimine, quod Antiochenus in ſolo antiocheno epiſcopatu, Romanus verò & in romano epiſcopatu, & in univerſæ Eccleſiæ pontificatu, ſucceſſit. Enim verò nemini ſucceditur, niſi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per civilem, legitimam ſcilicet abrenunciationem, vel depoſitionem. Quando Petrus antiochenam Sedem reliquit, pontificatum non deſeruit; unde Evodius illi in antiocheno epiſcopatu quidem, non in pontificatu, ſucceſſit. Reliquit ſolùm quando romanam ſedem, ſimul

cum

Digitized by Google

cum vita, depoſuit. Quare ergo antiochenus Epiſcopus, qui Petro in Epiſcopatu ſucceſſerat, quem jam deſeruerat Petrus, Petro etiam poterat in pontificatu ſuccedere, quem Petrus adhuc retinebat? Quandò verò Romanus Epiſcopus Petro ſucceſſit, jam Petrùs ceſſerat locum, per mortem ſcilicet naturalem, quâ & Epiſcopatum, & Pontificatum, depoſuerat. Solus ergo Romanus Epiſcopus, & neutiquam Antiochenus, Petro ſuccedit pleno jure, & in romano ſcilicet epiſcopatu, & in univerſæ etiam Eccleſiæ pontificatu. Concilia, & Patres, quorum teſtimoniis, quæ hucuſque diximus, invictè confirmantur, apud Scriptores noſtros, rem ex profeſſo tractantes, facilè invenies. Nobis autem, quæ ipſi diffuſiſſimè ſcribunt, ut Adverſariorum mendacia detegeremus, ſat eſt indicaſſe.

Idoneum denique poſtulas teſtem, quo tibi probetur, Petrum ſupremam Apoſtolatûs ſui vim romano ſolô alligaſſe; adeout ibi tantùm, & non alibi, exerceretur. At quid opus teſtibus, ut probemus quod nemo noſtrûm aſſeruit? Non quidem romano ſolô alligata eſt ſuprema poteſtas, ſed romano Hierarchæ, qui ubicunque moram pertrahat, eam ſemper exercet. Quot Romani Pontifices fuerunt, qui Romam nec etiam a limine ſalutarunt? Avenione ſiquidem conſidentes, ibi ſupremam poteſtatem exercebant; & quamvis extra romanum ſolûm, non per hoc Romani Pontifices non dicebantur. Si verò teſtes requiris, quibus probetur, romanæ Cathedræ, non terræ, ſupremam poteſtatem fuiſſe alligatam, cùm idoneos teſtes exigas, non alios poſſumus tibi meliores dare, quam Patres. Plures in ſuperioribus laudati a nobis fuerunt, multò plures apud Scri-

Scriptores noſtros legendi ſuperſunt:

Verè quidem Petrus auctoritatem ſuam, aut in minimum Quiritem, aut in ſervulum, florente Cæſarum potentiâ, non fuit auſus exercere. Sed quid ad nos de iis, qui foris ſunt? Gentiles erant illi, hoc eſt extra Eccleſiam conſtituti; Petri autem poteſtas in Eccleſia erat; ideſt ſupra illos, qui intra Eccleſiæ fines continebantur. Objectiones, quas innuis, vidiſſes profectò a quampluribus ex Noſtris ſolidè refutatas, ſi illos legere voluiſſes. Quod cùm nolueris, tibi potius vitio vertendum eſt, qui intelligere noluiſti, ut benè ſcriberes. O utinam legiſſes! Non enim, ſi legiſſes, tot putida commenta, quæ Conſectarii tui rudioribus venditare aſſolent, nobis ad ſtomachum quoque paraſſes.

§. XI.

EPISTOLA.

QUo major me cupiditas inuſſit inquirendi, num ne cum Scriptura ſacra non fulcirentur, alibi „ invenirentur quædam, quæ cum hæretico- „ rum telis retundendis, tum ædificio tam fragili ſu- „ ſtinendo, inſervirent. Ad puræ enim & incorruptæ „ antiquitatis teſtimonia utramque partem audivi „ provocare, cum Judicem ſacram Scripturam No- „ ſtri adverſarentur, & Hæreticos eidem minimum „ tribuere arguerent. Quæ hîc magno labore inda- „ gaveram, ſimpliciter expono. Adeo autem præſidii „ nihil hinc venire deprehendi, ut gradus iſtos, qui- „ bus paulatim ambitio Pontificum ad hoc faſtigium

 „ aſcen-

„ aſcenderet, expreſſiùs invenirem. Primùm enim „ liquidò deprehendi, Eccleſias ab initio, quæ per „ romanum ſparſæ erant imperium, pari omnes fuiſſe „ auctoritate, neque unam alteri ſubjectam: utpote „ in quibus Apoſtoli quærebant ſanctiſſimam Chriſti „ doctrinam promulgare, abſque ulla contentione, „ ut alter alteri imperaret. Accreſcente poſtea Fi- „ delium numero ad concinniorem ordinem ac diſci- „ plinam Epiſcopos in primariis urbibus conſtitutos „ invenio; qui cùm diæceſeos quiſque ſuæ curam „ haberet, reliquis præferri cupiebant Sacerdotibus. „ Aſſenſerunt huic inſtituto Cæſares, jam chriſtianam „ Fidem amplexi, cum antea temporis, continuatis „ ferè perſecutionibus, omne Eccleſiarum lumen „ ſuppreſſum fuiſſet. Paulò poſtea ſacrum Ordinem „ invaſit ambitio, ut, poſtpoſitis reliquis, quinque „ tantum Metropolitani eminerent; Romanus, Con- „ ſtantinopolitanus, Antiochenus, Hieroſolymita- „ nus, & Alexandrinus; quorum duo priores de prin- „ cipatu contendere inceperunt. Romanus urgebat „ primævam urbis dignitatem, cùm adhuc caput or- „ bis Roma eſſet: Alter autem, illud imperii romani „ decus Conſtantinopolim eſſe translatum. Ancipiti „ verò eos certaſſe lite conſtat, donec Phocas Impe- „ rator Bonifacio III., ſi rectè memini, primum con- „ cedere locum, odio, ut fertur, Conſtantinopoli- „ tani Epiſcopi, quòd cædem Mauritii Imperatoris, „ ab eo patratam, acriter increparet. Atque hæc „ prima iſtius faſtigii, quo ſe jactat Sedes Romana, „ origo eſt. Quanquam eo pacto nullum jus, aut im- „ perium huic in reliquos venerat, nec quicquam „ aliud conceſſum, præter merum primi loci hono- „ rem, quem, contra monitum Chriſti, affectaverat

„ nun-

Digitized by Google

„ nunquam ſatiata hominum libido. Unde liquidiſ-
„ ſimè patet, Primatum hunc humani, non divini, eſſe
„ inſtituti; & impudenter illos agere, qui ulterius
„ limites ejus extendere cupiunt. „

RESPONSIO.

QUæ de Romani Pontificis poteſtate a Catholicis dicuntur, num ſacrarum literarum oraculo fulciantur, ex iis, quæ ſuperiùs fuſo calamo ſcripſimus, tibi, aliiſque gentis tuæ hominibus, minimè dubium eſſe poterit. Antiquitatis verò teſtimonia, quæ in medium affers, modò nobis incumbit expendere. Non enim nos antiquitatem refutamus, ſicut nec Scripturæ adverſamur, ut pudentiſſimo mendacio nobis audes imponere. Hæretici exadverſo ſunt qui verſatiles ingenio, ſicut animo volubiles, quæ modò amplectuntur monumenta, tanquam ſibi faventia, mox rejiciunt, ſi tantiſper adverſantia ſuſpicentur. Unde verè pertinaciæ eorundem inconſtantia eſt fundamentum, quâ ſemper ſibimetipſis contrarii, & ſibi etiam ſimiles inveniuntur. Igitur quæ antiquitatis monumenta magno labore indagaſti, & ſimplici calamo expoſuiſti, æquâ judicii lance ponderemus.

Primùm liquidò te deprehendiſſe aſſeris, Eccleſias ab initio pari omnes auctoritate fuiſſe, neque unam alteri ſubjectam. Hoc autem eâ ſolùm ratione probatum tenes, quòd Apoſtoli quærebant in Eccleſiis ſanctiſſimamChriſti doctrinam promulgare, abſque ulla contentione, ut alter alteri imperaret. Hæc ſanè verba ſi eò colliment, ut oſtendant, Eccleſias, quas Apoſtoli regebant, pares auctoritate fuiſſe, quòd nullus Apoſtolus ſupra alium dominatum exercuerit;

hoc quidem etſi de cæteris Apoſtolis concedamus, de Petro tamen, qui ſupra omnes conſtitutus fuerat, concedi minimè debet. Si verò intelligatur de Epiſcopis omnibus, qui Apoſtolorum temporibus Eccleſias regebant, ſive illi Apoſtoli eſſent, ſive ab Apoſtolis inſtituti; & neque horum par erat auctoritas, cùm Apoſtoli cæteris, quos inſtituerant, Epiſcopis ſuperiores haberentur. Quod quidem vel ex eo maximè conſtat, & quia in cæteris Epiſcopis ordinaria tantùm Apoſtolorum auctoritas derivata erat, ſecus verò extraordinaria; & etiam quia Paulus Corinthiorum Epiſcopum, aliarumque civitatum, quos ipſe inſtituerat, admonebat aliquando Paſtores, aliquando etiam Populos reprehendebat.

Verùm hæc non erat Eccleſiarum prærogativa, erat potius perſonalis Apoſtolorum dignitas, qua fiebat, ut ubicunque invenirentur Apoſtoli, auctoritatem, quam a Chriſto Domino acceperant, in aliarum Epiſcoporum Plebes exercerent. Certas nihilominus Eccleſias inſtituerunt Apoſtoli cæteris etiam majores; immo & quibuſdam ex illis etiam ſuperiores, dum eccleſiaſticum orbem ad civilis diſpoſitionis exemplum diviſerunt. Eccleſias tamen in Provincias diſtribuentes, illud animo reputarunt, ut in unaquaque illarum Provinciarum ſtatueretur Epiſcoporum corpus ſub Metropolitani Epiſcopi præſidentia. Hæc abunde a Noſtris probata legiſſes, ſi de re, quæ tibi nondum ſatis conſtabat, voluiſſes te reddere certiorem. At quid hæc ad rem noſtram? Sat nobis eſt, Petrum ſupra cæteras fuiſſe Eccleſias; cæteroſque Apoſtolos Petro, ut ſuo Principi obtemperaſſe. Et hoc ſat etiam eſt ad te falſitatis, ſi non mendacii, arguendum, dum ais, Apoſtolorum tem-

pore

Digitized by Google

pore Eccleſias omnes, Romanam quoque, auctoritate fuiſſe pares, nec unam alteri imperaſſe.

Chriſtus profectò diſertis verbis Petro commiſit, ut non tantùm agnos, ſed & oves paſceret; præcepit inſuper, ut confirmaret Fratres, cùm pro ejus Fide, ne deficeret, ipſemet Chriſtus rogaverit Patrem. Ovium autem & Fratrum nomine Chriſtum Apoſtolos intellegiſſe, antiquiorum Patrum teſtimonio diſcimus. S. Joannes Chryſoſtomus rationem reddens, quare Petrus primum Eccleſiæ Concilium convocaverit, cæteriſque Apoſtolis propoſuerit, ut in proditoris locum alter eligeretur, hæc ad rem noſtram, hom. 3. in Acta Apoſtolorum, habet. *Meritò primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Chriſtus: Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Præterea inter Sermones, qui Euſebio Emiſſeno tribuuntur, Eruditorum autem ferè omnium calculo ſunt Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, aut alterius Eucherii, antiqui inter Gallos Epiſcopi, & Scriptoris, Sermo habetur de natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in quo hæc leguntur. *Prius agnos, deinde oves, commiſit ei, quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oves; paſcit filios, paſcit & matres; regit & Subditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oves, in Eccleſia nihil eſt.* Si ergo Petrus, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, aliarum Eccleſiarum Epiſcopos habebat etiam paſcere, & confirmare, quis non aſſeret, Apoſtolorum temporibus non omnes Eccleſias fuiſſe auctoritate pares, cùm Romana, in qua Petrus ſedebat, cæteris omnibus anteiret?

Poſtmodum creſcente Fidelium numero, Epiſcopos,

pos, inquis, fuiſſe in primariis urbibus conſtitutos, qui cùm diæceſeos quiſque ſuæ curam haberet, reliquis præferri Sacerdotibus cupiebant. Ab Aetio primùm proximiorum temporum Hæretici didicerunt, nihil diſcriminis, Epiſcopos inter & Presbyteros, primis Eccleſiæ ſæculis, fuiſſe; ſed purum hominum fuiſſe inventum Epiſcoporum ſupra Præsbyteros dignitatem. At Apoſtolorum temporibus Epiſcopos Presbyteris ſuperiores & dignitate & auctoritate fuiſſe, Scripturarum oraculo, & Patrum teſtimonio, nobis redditur inconcuſſum. Tu nihilominus Epiſcoporum inſtitutionem, verbis illis indicas, non a Deo immediatè, ſed ab hominibus fuiſſe; cùm contra, Actorum 22., clamitet Scriptura; *Spiritum Sanctum poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Ab Apoſtolis quoque Epiſcopos conſecratos plurium Eccleſiarum Sedes demonſtrabunt; Hieroſolymæ Jacobum Fratrem Domini, oſtendent, cui Simeon ſucceſſit: Alexandria Marcum, poſtquem venit Anianus: Antiochia Evodium, cujus ſucceſſor fuit Ignatius. Tres inſuper Paulus, ſi non plures, Epiſcopos ordinavit, Epheſi ſcilicet Timotheum, Cretæ Titum, Philippis Epaphroditum. Tertullianum, antiquiſſimum Scriptorem audire præſtat, libro de Præſcript. Hæretic. cap.32. iſta ſcribentem. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis perſeveranter habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrneorum Eccleſia habens Polycarpum, ab Joanne collatum refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis*

in

Digitized by Google

in Epiſcopatu conſtitutos, apoſtolici ſeminis traduces habeant.

Ambitionem inſuper ſacrum Ordinem invaſiſſe, effutis, ut poſtpoſitis reliquis, quinque tantùm Metropolitani eminerent; Romanus, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, Alexandrinus. Erras hîc, & in origine Patriarchalium Sedium aſſignanda, & in ordine recenſendo. In origine quidem; etenim quamvis ratum nobis certumque ſit, Epiſcoporum in peculiaribus privatiſque ſuis diœceſibus, & Papæ ſupra omnes orbis Eccleſias, principatum, jure divino niti: Unde Leo magnus epiſt.89. ſcribebat: *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apoſtolorum officium pertinere, ut in Beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret; ut ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet; ut exortem myſterii intelligeret ſe eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere*: Metropolitanorum tamen, Primatuum, vel Exarchorum, Patriarcharumque, auctoritatem ab eccleſiaſtica inſtitutione originem duxiſſe, non ambigimus. At non per hoc ita ab Apoſtolorum temporibus arcenda eſt, ut nonniſi poſterioribus Eccleſiæ ſæculis inſtituta pronuncietur. Illarum nanque Patriarchalium Sedium, quarum fuerunt Apoſtoli conditores, & quarum principatus ipſis Evangelicis, Apoſtolicíſque, Scripturarum teſtimoniis conſecratus eſt, adeo Eccleſiæ coæva fuit inſtitutio, ut juri divino finitima dicenda ſit; cùm ab eo proximè & immediatè emanaverit. Ita ſcilicet, ut Apoſtoli eam fecerint tanquam eximiæ auctoritatis quodammodo æmulatricem, quâ Chriſtus Dominus Petrum ſupra illos evexerat.

No-

Digitized by Google

Nomina forſitan te, tuique ſimiles, deceperunt, ut aſſerentes, nonniſi poſterioribus ſæculis Patriarchas conſtitutos, cùm de horum nomine in priorum ſæculorum monumentis, vel nullum veſtigium inveniri credatis, vel ſi inveniatur, de alio prorſus, quam de quo loquimur, inſtituto, intelligendum putetis. Verùm nomina ſeponentes, ut lubet, & auctoritatem ipſam ſpectantes, profectò invenimus, ab ipſis uſque Eccleſiæ primordiis, poſt ſummam Romanæ Sedis poteſtatem, excellentiſſimam etiam Alexandriæ, & Antiochiæ, auctoritatem fuiſſe. Has Eccleſias inſtituerat Petrus, eaſque præſentiâ ſuâ adeo decoraverat, ut participationem pleniſſimam illius Apoſtolicæ plenitudinis, quâ illum Chriſtus dotaverat, in ipſas effuderit. Hinc Concilium Nicænum primum can. 3. Trium harum Sedium, Romanæ ſcilicet, Alexandrinæ, & Antiochenæ, juriſdictionem ſic peramplam declaravit, ut in multas fermè Provincias extenſam dixerit.

Quæ cùm ita ſint, liquidò apparet, turpiter te hallucinatum, cùm aſſerueris, propter Cæſares, chriſtianam Fidem amplexos, hanc ambitionem ſacrum Ordinem invaſiſſe, ut Patriarchales Sedes inſtituerent. Tempore enim, quo primum Concilium Nicænum celebratum eſt, non alius Cæſar, quàm Conſtantinus Magnus Chriſtianæ Fidei nomen dederat; & nihilominus eodem ſanè tempore Patriarchalium hujuſmodi non facta eſt inſtitutio, ſed declaratum dumtaxat, quantùm cujuslibet ipſarum juriſdictio eſſet; quod profectò oſtendit, earumdem Patriarchalium jam antea inſtitutionem fuiſſe factam. Præterea in eodem Concilio, antequam quicquam agi cæptum eſſet, Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ, nullo

Digitized by Google

nullo intercedente medio, poſt Romani Pontificis Legatos ſedebant. Non ergo a Concilio ſupra cæteros Epiſcopos præeminentiam illam acceperant; ſed jam ante Concilium habuerant. Tuum autem erit, aliud a Nicæno Concilium indicare, in quo Patriarchalis præeminentiæ ordinatio facta ſit. Quod ſi adinvenire non poteris, ad Apoſtolorum tempora recurrere oportet; juxta celebrem Auguſtini regulam, quâ docemur, ad Apoſtolos referri debere, quæ in Eccleſia obſervari videmus, & quorum inſtitutionem in Conciliis non invenîmus.

Falleris ergo primùm, aſſerens, Chriſtianos Imperatores id effeciſſe, ut Patriarchales Sedes inſtituerentur; cùm antequam Cæſares Chriſti Fidem ſuſcepiſſent, Sedes illæ jam in Eccleſia inſtitutæ reperiebantur. Falleris ulterius, Patriarchas iſtos Metropolitanos appellans; cui enim in Eccleſiaſtica hiſtoria vel leviter erudito planè non conſtat, plures etiam Metropolitanos cuilibet Patriarchæ ſubeſſe? At nolimus de nominibus facere quæſtionem, quæ ſanè non eâ diſtinctione, quâ gaudent modò, antiquitus uſurpabantur. Verùm qui ſcribit hoc tempore, quam horum temporum ſignificationem habent nomina, uſurpare oportet, & non imitari potius confuſionem, quam priſca tempora, re nondum ſuis numeris abſolutâ, exhibebant. Falleris denique in ordine Patriarchalium Sedium recenſendo; cùm Alexandrinam ultimo ponas loco, quæ tamen poſt Romanam ab initio primum locum, ſecundum verò ſequentibus temporibus occupavit.

Contentionem obtrudis, quâ Romanum, & Conſtantinopolitanum, Patriarchas, de primatu inter ſe, aſſeris, diſputaſſe, & quæ tandem contentio,

 poſt-

poſtquam diu anceps fuit, Phocæ Imperatoris judicio, in Romani Pontificis favorem finita eſt. Conſtantinopolitani Patriarchatûs originem & progreſſum congruum ducimus expendere, ut illorum deinde, quæ congeris, firmitas, vel inanitas, eluceſcat. Byzantii Epiſcopus ſuffraganeus Heracleenſis in Thracia Metropolitani a principio fuit. Conſtantinopoli deinde ex Byzantio facta, propter illuc translatam imperii ſedem, quemadmodum urbis, ita & Eccleſiæ, plurimùm aucta eſt excellentia. Decrevit propterea Concilium Conſtantinopolitanum I. can. 3. *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat primatûs honorem poſt Romanum Epiſcopum, eo quòd ſit nova Roma*. Verùm canon iſte haud firmatus apparuit Occidentalium Epiſcoporum conſenſione; quapropter Romana Eccleſia, quamvis probaverit, quæ in Concilio contra Macedonium acta erant, quæque ad Fidem ſpectabant, alia verò, quæ reſpiciebant diſciplinam, rejecit. Teſtis eſt locupletiſſimus Gregorius Magnus lib. 6. ep. 31. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum, ſcribens. *Romana autem Eccleſia eoſdem canones, vel geſta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit: In hoc autem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas, reprobat*.

In Concilio poſtmodum Chalcedonenſi alii editi ſunt canones, quibus Conſtantinopolitanæ Sedis ſupra cæteras Orientis Eccleſias, auctoritas extendebatur; at nunquam factum eſt, ut cum Romana de primatu contenderet. Immo ab eodem Chalcedonenſi Concilio ad Pontificem datæ ſunt literæ, quibus Eccle-

cleſiæ & Concilii caput prædicatur? *Tu ſicut membris caput præeras*. Eum inſuper orantes, ut primatûs ſui radio Conſtantinopolitanam Eccleſiam illuſtraret. Et quamvis a Chalcedonenſi Concilio demiſſè & humiliter, ut par erat, Pontifici ſuper hoc ſcriptum fuerit, Leo tamen magnus, qui tunc temporis Petri ſedem implebat, prævidens, quô tenderent Conſtantinopolitani Antiſtitis molimina, adduci haud potuit, ut quæ in Concilio decreta erant in Conſtantinopolitanæ Sedis favorem, confirmaret. Scripſit ergo Leo Pontifex Leoni Imperatori, & Anatholio Archiepiſcopo, ſe nunquam paſſurum, ut majorum Sedium ordo, a Nicæna Synodo confirmatus, immutaretur; itaut Alexandrino a ſecundo, Antiocheno a tertio gradu, dejectis, Conſtantinopolitanus primum ante ipſos gradum occuparet. En Leonis verba in epiſt. 53. alias 54. *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorundam Epiſcoporum, ante ſexaginta, ut jactas, annos, facta ſubſcriptio, nunquam a Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitia, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti*.

+ MARCIANO

Leonis Pontificis conſtantiæ par fuit Leonis Imperatoris, & Anatholii Archiepiſcopi, obedientia; ambo enim ab inceptis deſtiterunt; Anatholio inſuper ſe excuſante, id non ſuâ culpâ, ſed Conſtantinopolitani Cleri præfervidâ quadam audaciâ fuiſſe factum. Imperator Anatholii excuſationem ratam dixit; ut proinde Leo Pontifex epiſt. 71 utriuſque epiſtolarum, & datæ fidei, mentionem faciens, Anatholio ſic iterum ſcripſerit. *Illam autem culpam, quam de augenda poteſtate, alienâ, ut aſſeris, adhortatione, contraxeras, efficaciùs atque ſinceriùs tua charitas diluiſ-*

Digitized by Google

ſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit; non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes. Sed gratum mihi eſt, quòd Dilectio tua profitetur, ſibi diſplicere, quòd tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſu profeſſio Dilectionis tuæ, & atteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit.

Non inde tamen inficias imus, quibuſdam exiguis privilegiis Conſtantinopolitanos Præſules tractu temporis peritos fuiſſe, ipſis etiam Romanis Pontificibus annuentibus, quamvis ſupra cœteros Orientis Patriarchas nullâ, aut auctoritate, aut juriſdictione, potirentur. Nullæ ad Conſtantinopolitanos Præſules ab Exarchis, eorumque Metropolitanis, & Epiſcopis, appellationes deferebantur; nullæ apud eoſdem Metropolitanorum cauſæ primo loco agitabantur. Teſtis eſt Juſtinianus Imperator, Novella 123. cap.22.; & Novella 37. cap.5. At nihilominus tandem factum eſt, ut ſuccedentium Romanorum Pontificum conniventiâ,quæ pro temporum qualitate prudens quidem, immo opportuna, videbatur, Conſtantinopolitanus Præſul ante Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum, aliquando ſederet, atque inſuper ut Patriarchæ nomen, & dignitas eidem concederetur. Quod & Gregorius magnus expreſſit, quando præter Papam quatuor paſſim Patriarchas in epiſtolis ſuis enumeravit.

Ita res ſe habuit uſque ad Joannis, cognomento jejunatoris, Conſtantinopolitani Patriarchæ, tempora. At Joannes, inaudito prorſus exemplo, coacto Conſtantinopoli Concilio, in cauſa Gregorii, Antiocheni Patriarchæ, judicium ſibi ſumens, Oecumenici etiam Patriarchæ nomen uſurpavit. Reſtitit Joan-

Digitized by Google

Joanni Pelagius II., qui tunc temporis in Petri cathedra ſedebat; fortiori autem conſtantiâ eidem ſe deinde oppoſuit Gregorius magnus, Pelagii ſucceſſor. Soli Romano Pontifici ad illa uſque tempora Oecumenici nomen Eccleſia tribuerat: nimirum in Chalcedonenſi Concilio Leoni magno Alexandrini Clerici dederunt, ipſo Concilio nihil obluctante; Hormiſdæ Papæ *univerſi orbis terræ Patriarchæ* titulum Archimandritæ etiam Conſtantinopolis; Hieroſolymæ & Orientis in Concilio Conſtantinopolitano, ſub Mena, Agapetum Pontificem Oecumenicum Patriarcham appellarunt. Et quamvis in hoc eodem Concilio Menæ Conſtantinopolitano Patriarchæ Oecumenici nomen datum pariter inveniatur; hoc tamen a Scriba factum eſſe, Eruditi omnes norunt, cùm aliàs Mena ſuam erga Apoſtolicam Sedem reverentiam demiſſè profiteretur. Actione nanque quartâ hæc loquebatur. *Nos enim Apoſtolicam Sedem loquimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus.*

Verùm in pſeudo-Synodo Epheſina primus omnium Dioſcorus, Alexandrinus Epiſcopus, ab Olympio, Evazorum Epiſcopo, Patriarcha Oecumenicus eſt appellatus; quòd tamen Chalcedonenſis Synodus deinde reprobavit. Pelagii etiam atque Gregorii reſiſtentiam & conſtantiam nihil Conſtantinopolitani Præſules curantes, ſequentibus ſæculis nullatenus ab eo nomine temperarunt. Tandem Cyriaco Conſtantinopoli ſedente, Phocas Imperator, Romanæ Sedis primatum agnoſcens, eidem Cyriaco vetuit, ne ſe amplius Oecumenicum diceret, & ne primum ſibi locum in Eccleſia vindicaret. *Bonifacias III. Papa obtinuit*,

tinuit, Paulus Diaconus, lib.4. de geſtis Longobardorum, hæc teſtatur, *apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum, ideſt Eccleſia Romana, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat*. Quæ quidem non de inſtitutione, aut declaratione intelligenda ſunt, ſed tantùm quòd Phocas, Romanæ Eccleſiæ primatum agnoſcens, contumaces Conſtantinopolitanos compreſſerit, ne amplius Oecumenici titulo honeſtarentur. Teſtes ulterius nobis ſunt, locupletiores quidem Diacono recenſito, Beda lib. de ſex ætatibus in Phoca, Ado in Chronico, Anaſtaſius Bibliothecarius, aliique quum ex antiquis, tum ex recentibus Scriptoribus.

Attamen hoc de Phoca commentum, tuum profectò non eſt. A Calvino didiciſti, qui lib.4. inſtit. cap.7. §. 17. ſcripſit, primatum in Græcos Romano Pontifici a Phoca fuiſſe datum, in Gallos autem & Germanos a Pipino primùm, deinde a Carolo, Francorum regibus. Contradicit Calvino Lutherus, aſſerens in libro de poteſtate Papæ, Conſtantinum IV. Romano Epiſcopo primatum detuliſſe. Verùm deinde in libro de ſupputatione temporum, Calvino adhærens, a Phoca etiam Papæ primatum aſſerit in Eccleſia invectum, quod & Illyricus, aliique Centuriatores excripſere. Certiſſimè nihilominus nobis conſtat, Phocæ tempora ſeptuaginta annis Juſtinianum Imperatorem præceſſiſſe, at hic in epiſtola ad Joannem II. Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium caput eſſe fatetur. Conſtat quoque, Valentinianum centum & quadraginta annis ante Phocam fuiſſe; at hic etiam in epiſtola ad Theodoſium aſſerit, Romanum Pontificem ſuper omnes habuiſſe ſemper Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotii principatum. Denique Gregorius magnus, lib.7. ep.63. ad Joannem Siracuſanum ſcribit. *De Sede Conſtantinopolitana quis dubitet eam Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubjectam? Quòd & Dominus piiſſimus Imperator, & frater meus Euſebius, ejuſdem civitatis Epiſcopus, profitentur.*

Ut autem nec illud ſine animadverſione nos fugiat, quod te fortaſſis incidenter dixiſſe putamus; nimirum quod Romanus Epiſcopus urgebat primævam urbis dignitatem, cùm adhuc caput orbis Roma eſſet: Scias, non ab re alienum eſſe, etiam hæc a nobis afferri poſſe, quatenus ſcilicet ſenſum faciant, quòd Petrus Romam elegerit, ut Apoſtolicam Cathedram inibi figeret; quia cùm eſſet Roma caput orbis, facilè hinc in omnes orbis partes poterat cœleſtis doctrinæ fons dimanari. Quod & S.Leo, ſerm.in natali Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli indicavit. *Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacis ſe ab ipſo capite per totùm mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis hominum in hac tunc urbe non eſſent, aut quæ uſquam gentes ignorarent quod Roma didiciſſet?* Vides ergo, non ideo Romanum Pontificem in univerſa Eccleſia primatum habuiſſe, quia Roma totius orbis terrarum erat caput, ſed quia Petrus Romam elegit, ut inibi cathedram conſtitueret. Potuit fortaſſis Romanæ Urbis potentia cauſa eſſe, quòd Petrus Romam elegerit; at non inde evenit, ut Romanæ Urbis potentia cauſa fuerit primatûs, quem & Petrus in Eccleſia habuit, & Romani Pontifices, Petri ſucceſſores, habuerunt, & etiamnum habent, immo & uſque ad ſæculi conſumationem habebunt. Cętera, quæ congeris, primatum ſcilicet illum fuiſ-

ſe

ſe merum primi loci honorem, non autem jus aliquod, aut imperium, importaſſe, mox expendemus ſimul & refutabimus.

§. XII.

EPISTOLA.

SEd dices, ſi de prioritate loci hoc concedatur, non tamen inde dicendum eſſe, poteſtatem,
„ quam Pontifex habet, a Chriſto illi collatam eſſe,
„ quatenus Petri ſucceſſor eſt. Quid de hac ſucceſ-
„ ſione ſit habendum, ſuperius eſt expoſitum. Præ-
„ terea clara extat Salvatoris ordinatio, quâ Apo-
„ ſtolis mandatum eſt, annunciare Evangelium,
„ itaut pœnitentibus venia peccatorum daretur, im-
„ piis verò ea in crimen imputarentur. Nullo autem
„ loco indultum illis legitur, ut ſupra Rectores civi-
„ tatum ſe efferant, negociiſque ſe ingererent, quæ
„ ad Magiſtratum ſpectant civilem. S. Paulus quidem,
„ cùm videret gliſcere inter novitios Chriſtianos lites
„ ac controverſias, monuit eos, ut apud ſuæ Religionis
„ conſortes amicè potius illas componerent, quàm
„ judicium ethnicorum tribunalium experirentur;
„ ubi majori damno, & animorum exacerbatione
„ lites proſequerentur, quod doctrinæ chriſtianæ
„ principiis contrarium eſſet, quæ manſuetudinem
„ commendat, & rerum mundanarum contemtum,
„ altera a beatiori vita compenſandum. Itum ſic eſt
„ ad Eccleſiam, ejuſque Præſules. Quòd ſicut ho-
„ die laudandum eſſet, ſi Sacerdotes æqui & probì
„ tentarent litigia amputare, conciliatâ inter audi-

„ to-

Digitized by Google

„ tores ſuos concordiâ; ita in fraudem legitimi ma-
„ giſtratûs tendere promiſcuam hanc juriſdictionem
„ clarum eſt, poſtquam ipſæ civitates factæ ſunt chri-
„ ſtianæ. Quin & cuilibet homini chriſtiano id face-
„ re licuit, & hodienum licet; non tamen judicium
„ ſibi couſtituere peculiare propterea licebit.

RESPONSIO.

IGitur prioritate illâ loci contentus, Romani Pontificis primatum haud juriſdictionis, ſed honoris tantùm præeminentiam eſſe contendis, quâ ipſe ſcilicet inter pares dicatur primus. At ſi ſoli Petro ita a Chriſto datæ ſunt claves, in quibus ſpiritualis juriſdictio repræſentatur, ut ab ipſo cæteris Apoſtolis communicandæ poſtmodum forent; cur ergo Petrus ordine tantùm, & non etiam poteſtate, dicendus eſt primus? *Et præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Ita de Petro magnificè, at pro dignitate, ſcribebat Optatus Milevitanus, lib. 1. contra Parmenianum. An ſola loci prioritas eſſe poterit rerum ſumma, quam de paſcendis ovibus Chriſtus Petro demandavit? *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſupra ipſum velut petra fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis, exigitur.* In cap. 6. Epiſtolæ ad Romanos ſcriptum reliquit Origenes. Denique primatus Petri ſupra cæteros Apoſtolos quâ ratione potuit ſolius honoris eſſe, & non etiam juriſdictionis, cùm ad Apoſtolos ipſos regendos extenderetur? Ovium nomine Ambroſius lib. 10. in Lucam ad cap. 24., Apoſtolos intelligit, qui perfectiores in Eccleſia ſuper cæteros eminebant. *Etiam*

Digitized by Google

non agnos, ut primo quodam lacte paſcendos; nec oviculas, ut ſecundo; ſed oves paſcere jubetur; perfectiores ut perfectior gubernaret.

Quod ſi Petri primatus non ſolius honoris fuit, ſed etiam poteſtatis, nec primus inter pares, inter Apoſtolos conſtitit, ſed ut Paſtor potius inter oves: Nemo quidem non mentis inops hanc eandem poteſtatem, juriſdictionem, auctoritatem, Romano Pontifici denegabit, cùm ſuperius probatum teneat, Romanum Pontificem in omnibus ſui primatûs juribus ſucceſſiſſe. En quæ de Petro Auguſtinus tract. 124. in Joannem, perſpicuis teſtatus eſt verbis. *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatûs ſui primatum, Eccleſiæ gerebat figuratâ quadam generalitate perſonam. Quod enim propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus chriſtianus, abundantiore verò gratiâ unus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt: Tibi dabo claves &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam.* Igitur priuſquam Petrus claves a Domino acciperet, primus inter Apoſtolos erat; poſtquam verò claves accepit, non ſolùm primus, ſed & princeps fuit Apoſtolorum; non tantùm ſcilicet ordinis, ſed & poteſtatis primatum etiam gerens. Hæc eadem de Romano Pontifice dicere oportet, pontificatum ſcilicet non dumtaxat in eo merum primi loci honorem importare, ſed jus quoque & imperium in omnes Chriſtifideles, qui ſupremæ ſuæ poteſtati ſubordinantur. Quæ quidem, in definitionem Fidei, a generali Synodo Florentina legimus conſtituta. *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri, Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chri-*

Digitized by Google

Chriſtianorum caput & Patrem & Doctorem, exiſtere: Et ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum & in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus, continetur.

Solam prædicandi facultatem, & peccata modò tuo relaxandi, cùm in Apoſtolis agnoſcas, hanc quoque, & non ulteriorem, in Apoſtolorum Succeſſoribus optas: Unde doles, Eccleſiaſticos Viros ſæcularibus negociis ſe immiſcere, & quandoque etiam velle ſæcularium Magiſtratibus legem ferre. A Vvaldenſibus, Marſilio de Padua, Vviclefo, ſuperiorum temporum Novatores errorem hunc didicerunt, tu verò Luthero, Calvino, Melancthoni, Clicthoveo, eundem acceptum refers. At catholici Scriptores noſtri non uno aut altero argumento, contra Errones tuos, oſtenderunt, Chriſtianos omnes pro comperto ſemper habuiſſe, Epiſcopos in ſuis diæceſibus, & Romanum Pontificem in univerſa Eccleſia, veros eſſe Principes Eccleſiaſticos, qui ſuâ auctoritate ac poteſtate poſſint & leges ferre, & in Eccleſiaſticis cauſis judicare, & delinquentes punire, aliaque præſtare, quæ multo plura ſint, quàm dumtaxat verbum Dei Populo annunciare, & veniam pœnitentibus impartiri.

Porrô ſi jam apud Ethnicos Pontifici maximo ſua erat in Sacrificulos juriſdictio; ut ex Seneca lib.1. controverſ. cap.2. liquidò conſtat; *caſtigationem ex Pontificis maximi arbitrio meruerat Sacerdos, ſi te e lupanari redim ſſet*: Immo & in Veſtales quoque Virgines Pontificis maximi juriſdictio extendebatur: Quare igitur tibi ita iniqua erit veræ Religionis Antiſtitum

ſtitum conditio, ut ipſis deneges, quæ ſuis falſæ Religionis Aſſertores conceſſerunt? Apoſtoli, primi Eccleſiæ proceres, ad quorum exemplum ſæpiſſimè nos provocas, nonne & ipſi uſi ſunt juriſdictione, quam Succeſſoribus injuſtè contendis? Actorum 15. Petrus, aliique Concilii Patres, Gentibus ad Fidem nuper converſis hæc ſcripſerunt. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, a ſuffocato & ſanguine, & a fornicatione.* Apoſtolos verbis hiſce novam condidiſſe legem, Chryſoſtomus annotavit. En igitur legis ferendæ juriſdictio, quæ maxima quidem eſt, & quam Apoſtoli exercuerunt. Chryſoſtomum audire oportet hom. 33. in Apoſtolorum Acta. *Vide brevem epiſtolam, neque epicheremata, neque ſyllogiſmos habentem, ſed imperium. Erat enim legis latio ſpiritus.*

Operæ autem pretium eſt, Apoſtoli exemplum, quod ad tuam aſſertionem probandam unicè laudas, intento animo examinare. De eo ſiquidem S. Lucas in Apoſtolorum Actis cap. 15. narrat, quod *pertranſiens civitates, præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*. Et cap. 16. *tradebat eis cuſtodire dogmata, quæ decreta erant ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant in Hieruſalem*. Eſt ne igitur Apoſtoli ſententia, non aliam poteſtatem, quàm prædicandi, & peccata more tuo dimittendi, in Apoſtolis fuiſſe? Apertè tradit Paulus, Apoſtolos & Seniores præcepta Fidelibus dediſſe, dogmata decreviſſe, quæ ipſimet illis præcipiebant, ut cuſtodirent. Idem Paulus nonne Corinthium inceſtuoſum excommunicationis pœnâ mulctavit? Cur ergo vel teſtimonium, vel exemplum Apoſtoli nobis obtrudis, cùm utrumque pro re noſtra ſtare comperiatur?

At

Digitized by Google

At Apoſtoli verba, quorum ſenſum minus æquo pervertis, tempus eſt ut pænitius perpendamus. Prima ad Corinthios cap.6. hæc ſcribit. *Audet aliquis veſtrûm, habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemtibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Vetuit quidem Apoſtolus, ne Chriſtiani, ſi quid litis haberent, Gentilium tribunalia adirent, ſed res Sacerdotum judicio terminaretur. At Paulum tu aſſeris Chriſtianos monuiſſe, ut apud ſuæ Religionis conſortes, non equidem Sacerdotes, controverſias amicè potius componerent. Obſtat tibi nihilominus Auguſtinus in pſal.118. ſcribens. *Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, ut foro prohibens jurgare Chriſtianos.* Et homil. 50. hoc ipſum habere inter ſe judicia & lites de ſæcularibus rebus, delictum eſſe dicit; quod tamen ferendum eſſe vult, ſi vel Eccleſiaſtico judicio lites hujuſmodi finiantur.

Temporis progreſſu, Fide jam dilatatâ, Epiſcopi pro Laicis juriſdictionem ſæcularibus tribunalibus aſportarunt; quam tamen pro Clericis firmiſſimè retinuerunt. Hinc Eccleſiaſtica juriſdictio, quæ antequam Principes chriſtianam Fidem amplecterentur, in Clericos, & in Laicos, ab Epiſcopis exercebatur; explosâ poſtmodum ſuperſtitione, & Evangelii luce Principum ſolia irradiante, pro Laicis remiſſa eſt, & incolumis pro Clericis atque inconcuſſa perſeveravit. Verùm quamvis hodie Epiſcopi ſæcularibus negociis illis, quæ ad laica tribunalia ſpectant, non ſe immiſceant, decidendo ſcilicet ut Judices; ea nihilominus componere ut Patres, conciliatâ inter Auditores

tores ſuos concordiâ, tuamet verba laudandum ſanè eſſe fatentur. Et cùm aſſeras, hoc idem facere cuilibet Chriſtiano licere; quantò magis conveniet illis, qui ſublimiori inter Chriſtianos eminent loco, & poteſtate præfulgent? Ad Pontificem verò, communem Fidelium omnium Patrem, hæc eadem potiori jure ſpectabunt, cùm auctoritatis ratione, quæ in ipſo quidem eſt amplior, immo ampliſſima, tum propter charitatem, quâ Fideles cunctos amplectitur, ubi vis gentium reperiantur. Non ergo Pontifex noſter ſanctiſſimus poteſtatis ſuæ limites tranſivit, dum in rebus Polonorum ita ſe geſſit, ut Eccleſiaſticos, Primatem ſcilicet, alioſque Epiſcopos Senatores, compelleret, Sæculares verò Senatores hortaretur, ut ea præſtarent, quæ ad Reipublicæ concordiam promovendam, Religioniſque integritatem ſervandam, conferre cognoviſſet.

§. XIII.

EPISTOLA.

PRoceſſum longiùs eſt Imperatorum indulgentiâ, qui in cœtum recepti Chriſtianorum, eximiâ „ quadam ſanctitatis opinione, libertatem hanc „ Epiſcopis reliquerunt. Atque hi, qui tunc mode- „ ſti erant, anſam poſtea hinc arripuerunt, politicis „ ſe immiſcendi controverſiis; unde accidit, ut ju- „ dicia de matrimoniis, de hæreditatibus, cæteriſ- „ que actionibus, inde promanantibus, magna cum „ Magiſtratûs politici contumelia, mordicus retine- „ rent. Interea evidens ratio eſt, ceſſante causâ ceſ- „ ſare

Digitized by Google

„ ſare quoque debere effectum ; & Magiſtratu ipſo
„ chriſtianis ſacramentis imbuto , admonitionem
„ Apoſtoli eo quidem intuitu locum non habere. Sed
„ non hiſce ſe continuit finibus immodica Pontificum
„ libido . Cùm cenſura Eccleſiaſtica primitus introducta
„ ducta eſſet , ut integritas morum inter Chriſtianos
„ ſervaretur ; & qui vitam contaminatam parumque
„ decoram duxerint , iis communio ſacramentorum
„ ad tempus interdiceretur ; tanto poſtea faſtu in-
„ flati ſunt Pontifices , ut integras Reſpublicas , Re-
„ geſque , ac Imperatores , anathematis fulmine
„ percuterent ; atque ita illos , a quibus honorem
„ omnem ac prærogativam habebant , pedibus con-
„ culcare inciperent . Non ipſi tantùm , qui , juxta
„ præceptum Apoſtoli , civibus erga imperantes ob-
„ ſequium inculcare debebant, facti ſunt refractarii,
„ ſed & alios hoc vinculo exolvere, & divinã ordina-
„ tionem, quâ imperia ſunt conſtituta, deſtruere, ve-
„ riti non ſunt.Quod tantum facinus perpatrare nun-
„ quam potuerunt ſtante Imperio Romano; ſed labe-
„ ſcente Cæſarum auctoritate in Occidente,paulatim
„ inſurgere, & jura Imperii ad ſe trahere cæperunt.

RESPONSIO.

Quid de Imperatorum effutis indulgentia, qui in cętum ſe receperunt Chriſtianorum , quum antequam aliquis ex Imperatoribus Chriſto nomen dediſſet, hac libertate Epiſcopi potirentur ? Decii, immaniſſimi Chriſtianorum hoſtis, tempore florebat in Orientali Eccleſia Gregorius , Næoceſarienſis Epiſcopus, qui litis de lacu quodam inter duos Fratres exortæ , extitit Judex , Is enim , ut S. Gregorius

rius Nyſſenus in ejus vita teſtatur, ex ſæcularium Judicum more, ad locum ſe contulit, ubi lacus erat, qui liti occaſionem dederat; quo de præſenti viſo, judicium ſuum protulit, litemque finivit. *Cum ad locum, de quo controverſia erat, veniſſet, ſuis ipſius legibus utebatur ad judicium*. Idem Neocæſarienſis Epiſcopus Euphroſinum fratrem ſuum deputavit, ut cauſas eorum cognoſceret, qui a Gothis expoliati, furto vivere pertentabant. Legimus hæc in can. 5. ejuſdem Epiſcopi epiſtolæ, quam Græci Canonicam dicunt. Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctor, quiſquis ille fuerit, antiquus ſane, Pauli monito adhærens, I. ad Cor. c 6., prohibuit quoque lib. 2. cap. 45. & 46. Chriſtianos Gentilium tribunalia adire; & cap. 47. Epiſcopis mandavit, ut qualibet feriâ ſecundâ judicarent, eiſque judicantibus Presbyteri, atque Diaconi, aſſiſterent.

Hæc quidem, antequam Cæſares in cœtum ſe reciperent Chriſtianorum, obſervabantur. Quum verò Cæſares chriſtianam amplexi ſunt Religionem, pro quibuſdam certis cauſis laicos homines judicandi poteſtatem Epiſcopi retinuerunt; pro cæteris, ad ſæculares Judices, qui Chriſto etiam nomen dederant, judicandi facultate aſportatâ: In Clericos tamen omnimodam retinentes juriſdictionem, quam nec a ſe ipſis diſtrahere, nec in alios legitimè poterant transfundere. Cùm enim non a Cæſaribus, ſed a Deo, in Eccleſiaſticos inquirendi, eoſdemque judicandi, poteſtatem accepiſſent; ut Gelaſius Papa, relatus in *can. Sylveſter II. quæſt. 1.* dixiſſe fertur: *Non a legibus publicis, non a poteſtatibus ſæculi, ſed a Pontificibus & Sacerdotibus, Omnipotens Deus Chriſtianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti*:

Nihil

Digitized by Google

Nihil Epiſcopi antiquiùs habuerunt, quàm a Deo ſibi traditam auctoritatem, cum cujuſvis ſæcularis poteſtatis excluſione, exercere, eamque contra quoslibet humani principatûs vires defendere.

Et quamvis Chriſtiani Imperatores ab Eccleſiaſticis latas leges ſuæ etiam auctoritatis calculo confirmarent; ut præcipuè præſtitit Conſtantinus Magnus; hoc tamen vel ideo faciebant, & refractariis Laicis timorem & reverentiam erga Eccleſiaſtica judicia incuterent, vel ut alios Principes monerent, ne eaſdem abrogare, infringere, aut quoquo modo pervertere, injuſto quidem nefarioque conatu, pertentarent. Cæterum nec opus Eccleſiaſticis legibus erat ab imperiali confirmatione robur emendicare, nec oportebat Eccleſiaſticos Judices ſuæ poteſtatis exercitium Principibus referre, a quibus poteſtatem ipſam minimè recognoſcebant. Audiatur Euſebius in ejuſdem Conſtantini vita lib. 4. cap. 27. *Jam quæ ab Epiſcopis in publicis Conventibus editæ erant regulæ, ſuâ conſignabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium Principibus liceret, quæ ab eis decreta eſſent, abrogare; cujuſvis enim Judicis ſententiæ Sacerdotum Dei judicium anteponendum eſſe.*

At non tantùm perſonas, de quibus judicarent, ſibi eccleſiaſtici Judices reſervarunt, verùm quoque cauſas, quæ ſacræ eſſent, quemadmodum perſonæ ipſæ reputabantur. Has inter Matrimoniales cauſæ comprehenduntur; *cum Matrimonia hodie regantur*, ut Gregorius magnus lib. 4. epiſt. 50. ſcribebat, *jure Poli, non jure fori.* Verùm Matrimoniorum judicia politicæ controverſiæ eſſe, aſſeruerunt quidam proximiorum temporum Hæretici, Melancthon ſcilicet, in locis, tit. de conjugio, Brentius in apologia pro

con-

confeſſione Vvirthembergenſi, Kemnitius in ſecunda parte examinis Concilii Tridentini, aliique ſimilis farinæ homines, a quibus tu denique, quæ ſcripſiſti, mutuatus es. Scriptores verò Catholici Matrimonium ut contractus eſt conſiderantes, & ut etiam eſt Sacramentum, triplicis generis cauſas in ipſo diſtinguunt. Quaſdam omnino politicas vocant, ut ſunt illæ de dotibus, de ſucceſſionibus, de hæreditatibus, &c. Haſque ad politicum Magiſtratum ſpectare nemo noſtrûm huc uſque inficiatus eſt. Alias prorſus ſpirituales dicunt, ut ſunt cauſæ de partibus Sacramenti, de benedictione ſacerdotali &c. Et has dicimus ad ſolam Eccleſiam & eccleſiaſticos Judices pertinere. Reliquæ tandem partim politicæ, partim ſpirituales appellantur, ut ſunt illæ de cognationis gradibus, de divortiis, de impedimentis &c. Haſque ad eccleſiaſticum Principem ſimpliciter, ut ajunt, convenire, definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 12. Quamvis etiam aliquando a politico Magiſtratu tractentur, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiæ judicium.

Quòd quidem quàm juſtè, & quàm religiosè, ſit factum, inde cunctis gentibus evidenter liquet, quia cùm matrimonium ſit ſacramentum, de ſacramentis judicare ad Eccleſiam ſpectat omnino, cum cujuſvis alterius laicæ poteſtatis excluſione. Quòd ſi novatores Sectarii matrimonium ſacramentum eſſe inficiantur, ſaltem rem conſcientiæ eſſe, & ex divinis legibus pendentem, non contendent; quod ſatis etiam eſt, ut ejus cognitio ad animarum Paſtores pertineat. Ut liberè autem, ita & falsò aſſeris, Epiſcopos ex Imperatorum indulgentia hanc anſam arripuiſſe, ut de matrimoniis judicarent, magna cum Magiſtratûs politi-

litici contumelia. Matrimonialium cauſarum cognitio, quovis Eccleſiæ ſæculo, eccleſiaſticorum Judicum fuit; ut antiqua tempora percurrenti facili negotio innoteſcit. Primo loco Chriſtus Matth. 5. & 19. Divortii & Repudii cauſas, non ad politicum Magiſtratum demiſit, ſed ipſemet judicavit. Apoſtolus deinde 1. ad Cor. 7. Conjugii cauſam inter fidelem & infidelem, non ad ſæculare judicium mittens, ipſe cognovit. Concilia poſtmodum pene innumera matrimoniales cauſas expenderunt. Toletanum I., anno circiter 400. habitum, can. 6., Chalcedonenſe can. 16., Forojulienſe can. 2., Toletanum VIII. can. 6., Turonicum 2. can. 19., Tribur ienſe can. 13.

Kemnitius tamen Concilium Milevitanum opponit nobis, quo ſtatutum refert, ut lex de divortio ab Imperatore petenda ſit. Verùm hoc eſt unum haud dubiè ex mendaciorum colluvie, in quæ caducæ fidei homo ſæpiſſime labitur. Non enim Milevitani Concilii Patres petierunt legem, quâ definiretur, poſt divortium licitum non eſſe uxorem aliam ducere, priore vivente; ſed voluiſſe ſolùm, ut definiret Imperator, qui id feciſſet, quâ eſſet penâ puniendus. Si ſæculares Principes afferantur, quos leges etiam tuliſſe dicitur circa matrimoniales cauſas; ut Theodoſius Imperator, qui Conſobrinorum conjugia fertur prohibuiſſe, cujus legem dehinc ejus filii, Archadius, & Honorius, abrogarunt; *l. celebrandis C. de Nuptiis*; & Juſtinianus, qui licita etiam eſſe conjugia illa pronunciavit; *§. duorum Inſtit. de Nuptiis*: Ad hæc ſanè Scriptores noſtri reponunt, quòd ſi Principes iſti Eccleſiâ approbante hoc præſtiterunt, utique ipſorum leges valere. Quod cùm non fecerint, inde eſt, quòd ab eis latæ leges, Eccleſiâ non conſentiente, immo contradicente,

te,

te, minimè vim obligandi habuerunt. Quinimmo Gregorius magnus in Reſcripto ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, præfatorum Imperatorum leges acriter reprehendit; ſtatuitque, matrimonia inter Conſobrinos illicita eſſe reputanda. Et Gregorii lex, non illa Cæſarum, ſemper eſt in Eccleſia obſervata, atque etiam modò viget; ut habemus ex *can. quædam lex*, 35. *quæſt.*2. Hæc de Matrimoniis. De Hæreditatibus autem, ſi ad pias cauſas factæ non fuerint, falſa ſunt quæ opponis; cùm illarum controverſias nemo noſtrûm civiles eſſe negaverit.

Ad Excommunicationes modò deveniamus. Antiquorum Patrum dictis tibi expedit aures apponere, ſi quæcunque a Catholicis de excommunicationum negotio dicuntur, & ab Eccleſiaſticis Judicibus exercentur, antiquitatis, & veritatis criterio vis expendere. Audi igitur in primis Gregorium Nyſſenum, orat. de Caſtig. *Ne epiſcopalis audaciæ excommunicationem arbitreris; paterna lex eſt, antiqua Eccleſiæ regula, quæ a lege traxit originem, & gratia obtinuit.* Audi Tertullianum, Apoſtolorum ævo proximiorem, qui in cap. 39. Apologetici hæc loquitur. *Coimus in cætum, & congregationem .... ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu; ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventûs, & omnis ſancti commercii, relegetur.* Ex quibus Tertulliani verbis quæ Catholici Scriptores de Excommunicatione docent, tene. Duplicem ſcilicet excommunicationem eſſe, minorem unam, quâ quis a participatione tantùm Sacramentorum excluditur; majorem alteram, quâ non ſolùm quis a Sacramento-

Digitized by Google

torum participatione, ſed etiam a Fidelium communione, ſegregatur. Tu autem primam tantùm te cognoviſſe oſtendis, cùm aſſeras, per excommunicationem fuiſſe ſolam Sacramentorum communionem ad tempus interdictam. Alteram verò, de qua etiam vetuſti Patres perſpicuè locuti ſunt, aut non agnoviſti, aut non agnoviſſe diſſimulaſti.

Diſce inſuper ex Nyſſeno, inventum hominum non eſſe excommunicationem, ſed in lege veteri obumbratam, in nova poſtmodum obtinuiſſe. Chriſtus enim poteſtatem ferendi cenſuras Eccleſiæ tradidit, quam & Apoſtoli exercitio demandarunt, & præcipuè Paulus 1. ad Cor. cap. 5. inceſtuoſum Corinthium excommunicationis pœna mulctavit. Hieron. ep. 1. ad Heliodor. hæc ad rem noſtram ſcribebat. *In veteri quidem lege quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a Populo, aut gladio cervice ſubjectâ, contemtum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpitur.* Hinc ulterius habe, excommunicationis gladio non eſſe in eos tantùm animadverſum, qui vitam contaminatam, parumque decoram, duxiſſent, ſed in illos præſertim, qui Prælatorum præceptis inobedientes, contumaces, rebelles, extitiſſent.

Vide ſis quot in uno excommunicationis negotio allucinationes paſſus es, & mendacia quoque fortaſſis protuleris, ut apertè manifeſtes, quæcunque aſſeris, non ab Eccleſiæ Patribus, ſed ab Eccleſtiæ Hoſtibus, didiciſſe. Joannes Hus ore nefario protulit: Per cenſuras eccleſiaſticas, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ad ſui exaltationem Clerum ſibi Populum laicalem ſuppeditaſſe, avaritiam multipli-
caſſe,

Digitized by Google

caſſe, malitiam protexiſſe, & viam Antichriſto præparaſſe. Non abſimilia ſcribis, ut contra eccleſiaſticas Poteſtates laicalem Populum armes, & ab Eccleſiæ obedientia ſeparari facias, quæ arctiùs Eccleſiæ legibus devinctæ ſunt nationes. Joannes etiam Vvicleſus in eccleſiaſticas cenſuras debacchatus eſt, Antichriſti cenſuras dicens eſſe omnes Papæ, aliorumque Prælatorum excommunicationes. Inſuper Regni proditores Prælatos illos pronunciavit, qui Clericos ad Regem appellantes, excommunicarent. A Deo denique aſſeruit, & non ab Epiſcopis, excommunicationis pœnam ferendam eſſe; itaut ſi Epiſcoporum aliquis excommunicare hominem tentaverit, quem priùs a Deo excommunicatum fuiſſe neſcierit, hoc ipſo hæreticus, & excommunicatus, evaderet.

Hæc ſunt doctrinæ tuæ capita, quæ nec in Patribus, nec in Scripturis invenies, cùm ea tantùm excitaverit livor, quô nebulones illi contra catholicam Eccleſiam agitabantur. Utique Chriſtus eſt, qui ligat, ſed per Eccleſiæ Miniſtros; qui ſanè charitatis affectu, quâ cunctos amplectuntur, neminem ligare vellent; ſed aliquando hominum ſcelera juſtitiam provocant, ipſoſque etiam invitos ad ligandum compellunt. Cum S. Joanne Chryſoſtomo hæc dicimus, hom. 4. in epiſt. ad Hebr. *Nemo vincula contemnat eccleſiaſtica. Non eſt enim homo, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc dedit ligandi poteſtatem, & efficiens ut homines in ſua poteſtate habeant tantùm honorem. Nam nos quidem uti volumus poteſtate ad ſolvendum. Immo verò vellemus, ne hoc quidem eſſet neceſſe. Nullum enim volumus eſſe apud nos vinctum. Sed ſi neceſſe habuerimus, ignoſcite. Non enim lubentes, nec volentes, ſed magis quàm vos vincti dolentes, vincula injicimus. Si quis*

Digitized by Google

quis autem illa contemnat, adveniet tempus judicii, quod ipſum doceat.

Invidiam inſuper adversùs Pontifices conflas, eos, aſſerens, tanto inflatos faſtu fuiſſe, ut integras Reſpublicas, Regeſque, ac Imperatores, anathematis fulmine percuterent; atque ita illo, a quibus honorem omnem, & prærogativam habuerunt, pedibus conculcare incepiſſe. Chriſtiani equidem Principis eſt Eccleſiam defendere, Fidem tueri, Religionem propagare. Ad hoc perficiendum ſe Principes ſacramento obſtringunt; ut ſe perjurium committere certò ſciant, ſi Religionis cauſam cuicunque alteri non præponant. Ubi autem violatæ promiſſionis, neglectæ Fidei, Religionis ſpretæ, reos Principes Eccleſia repererit, cur in eos animadvertere non debebit, illoſque eccleſiaſticis pœnis compellere, ut ad debitum ſuum exequendum reducantur? An non ipſi inter agnos comprehenduntur, quorum curam ſummo Paſtori Chriſtus demandavit? An non ab ipſis Fidelium plebem defendere tenetur Pontifex, ſi ad Fidei plebis perniciem Principatus degeneret? Proſecuti ſunt ſanè Eccleſiam honore ac reverentiâ Chriſtiani Principes, at non ab eis arma accepit Eccleſia, quibus eorum contumaciam plectere aliquando habet.

Prærogativas, quibus pontificia poteſtas ornatur, Deus ipſe Pontificibus contulit; qui iiſdem profectò gaudebant, antequam Principes Chriſtianiſmum profiterentur. Curarunt ſemper Eccleſiæ Præſules, debitam Principibus obedientiam a ſuis Subditis exhiberi, quando & illi Deo, ejuſque Miniſtris, obediebant. At quando compertum eſt, eos ab Eccleſiæ obedientia defeciſſe, iniquum erat, ut in Principum contumacia Subditi quoque rebelles fie-

fierent. Hinc fortiter curatum eſt, ut Subditi ſaluti ſuæ proſpicerent, ab excommunicato Principe ſe ſeparantes. Quòd quidem Eccleſia exequi non ex una ratione debebat; ſcilicet & ut Subditorum periculo conſuleret, & ut Principum curationem procuraret.

Aſſeris, tantum facinus ſtante Romano Imperio nunquam potuiſſe Romanos Pontifices perpatrare. Zelum appellas facinus, quod eo tibi videtur atrocius, quo ille extitit laudabilior. At de Romano Imperio ſub quibuſnam Imperatoribus loqueris? Non quidem quando Imperium Ethnici Principes regebant; non enim eos ab Eccleſia ſeparare oportebat, qui de Eccleſia non erant. Verùm ſi aſſeris contigiſſe, quando Chriſtiani Principes imperabant, infinita propemodum exempla, tibi apertè tuiſque dictis contraria, quum profana, tùm ſacra hiſtoria, ſuppeditabit. Hoc loci non eſt ea ſingillatim referre, cùm inferiùs eandem materiam expreſſiùs repetens, nos induces, ut quæ modo generatim dicimus, magis diſtinctè proferamus. Hoc tamen quis aſſeret fuiſſe, ut per illud jura Imperii ad ſe trahere Pontifices intentarent? Audiatur Nicolaus I. Romanus Pontifex, in epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem ſcribens. *Quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri, non humanâ ſuperbiâ rurſus in inferna demergi: ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus ſpiritalis actio a carnalibus diſtaret, incurſibus implicaret;*

Digitized by Google

ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Videſne, nono ſæculo jam labente, quando Orientalium Cæſarum auctoritas in Occidente penè nulla erat, Nicolaum nihilominus Pontificem ita Imperii jura a juribus ſegregaſſe Sacerdotii, ut ſuis contentus, illa libentiſſime Imperatori relinqueret, viciſſim exoptans, ut Imperator ſuis gaudens, aliena nullatenus perturbaret.

§. XIV.

EPISTOLA.

NOn equidem auſi ſunt propalare hæc dogmata, non tantùm quandiu Græcorum Cæſarum aliqua reman ſiſſet in Italia Majeſtas, verùm etiam „ quamdiu Gothorum priùs, mox Longobardorum, „ effloruiſſent regna. Sed cùm illud a Juſtiniano, „ hoc a Carolo Magno, eſſet deſtructum, laxatis „ frænis in omnem effuſi ſunt licentiam. Ac primùm „ quidem Romanos Italoſque impulerunt, ut tributa Cæſaribus denegarent; quos deindè quum liberos ſe putaverunt, ſublatâ cum Græcorum, tum „ Barbarorum dominatione, ſub ſuas leges redegerunt, uſi prætextu illius donationis, quam a Conſtantino Magno Sedi Romanæ factam eſſe, fingebant. Hujus confirmationem non difficulter a Carolo Magno obtinuerunt, cùm fallacia hæc iſtius „ temporis caligine tegeretur, & Cæſar novellam „ hanc dignitatem munere aliquo compenſare vellet. Ita tamen ut juſpatronatus in Sedem Roma-

„ nam ſibi retineret, devolutum poſtea in Succeſſo-
„ res ejus, donec ſæculo decimo quarto ſuperbiſſi-
„ mus Papa Gregorius VII., nomine Hildebrandi
„ alioquin notiſſimus, Hierarchiæ Romanæ, ad quam
„ reliqui viam paulatim muniverant, ſummum im-
„ poneret apicem. Hic enim non ſatis habebat Hen-
„ rico IV. Cæſari obſequium renunciare, ſed jus
„ etiam nominandi Epiſcopos extorquere volebat;
„ & cum jus ſuum defenderet Cæſar, illum, diris
„ devotum, Imperio quoque exuit, concitatâ in il-
„ lum fœdiſſimâ ſeditione. Concuſſo Cæſare, Epi-
„ ſcopos jurejurando in ſua verba adegit, non illos
„ modô, qui romani continebantur Imperii finibus,
„ ſed idem quoque cum reliquis tentabat.

RESPONSIO.

IGitur eô adducere nos vis, ut ante Juſtiniani & Caroli Magni tempora, exercitæ a Pontificibus, aliiſque etiam Epiſcopis, in chriſtianos Principes poteſtatis, tibi monumenta proponamus. Omnibus notum eſſe credimus Ambroſii, Mediolanenſis Epiſcopi, cum Theodoſio Imperatore, propter theſſalonicam cædem, argumentum. Primùm Ambroſius anathematis fulmine Imperatorem percuſſit; deinde, eundem enixè petentem, ut ad Eccleſiæ communionem admitteretur, eidem ſalutari priùs pœnitentiâ impoſitâ, benignè recepit; poſtmodum illi impoſuit, ut legem ferret, ne quis iracundiâ percitus ſententiam diceret; vel ſi diceret, quando maximè de morte, bonorumque publicatione, ageretur, nonniſi quàm poſt triginta dies a ſententiæ pronunciatione, eadem mandanda executioni foret. Lege Theodoretū lib. 5. Hiſtoriæ c. 17. Gre-

Digitized by Google

Gregorius Magnus deinde occurrit, qui in privilegio Monaſterio Sueſſanenſi S. Medardi in Gallia elargito, & quod invenies lib. indict. 11. cap. 38. hæc habet. *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel quarumcunque ſæcularium perſonarum, hujus apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præpoſitionis decreta violaverit, aut contradixerit.... cujuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur*. Idem Gregorius Eccleſiæ S. Martini, Monaſterio Ancillarum Dei, & Xenodochio a Regina conſtructis, alia concedens privilegia, lib. 11. indict. 6. epiſt. 10. in fine hæc addit. *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, perſonarumque ſæcularium, hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpatrata iniquitate cognoſcat*.

Quæ innuimus exempla ante, vel prope Juſtiniani ævum fuerunt; alia, quæ ſubdimus, ſaltem Caroli Magni tempora præceſſerunt. Gregorius II. Leonem, Imperatorem Orientis, perfidum Iconomachum, excommunicavit; ne ab Italiæ eidem vectigalia ſolverentur, præcepit; & Provinciis eum, quas in Italia poſſidebat, expoliavit. Zacharias Childericum depoſuit, in ejuſque locum Pipinum, Caroli Magni Patrem, Francorum Regem, creari juſſit. Leo III. Carolum Magnum, quod tu ipſe fateris, Occidentis Imperatorem declaravit, a Græcis imperium ad Francos transferens, quòd Græci Eccleſiæ, quam tueri tenebantur, immane bellum facerent. An non ſatis tibi hæc ſunt, ut fatearis, quando etiam Græcorum Cæſarum florebat in Italia Majeſtas, Romanos Pontifices in Imperatores, alioſque Principes,

 juſta

juſtâ ſuadente cauſâ, Eccleſiaſticis cenſuris animadvertiſſe?

Poſtquam autem Carolus Occidentale Imperium moderari cæpit, licentiam, quam aſſeris, perpendere oportet, in quam laxatis frænis effuſi ſunt Pontifices. Romanos, Italoſque, ais, a Pontificibus fuiſſe impulſos, ut tributa Cæſaribus denegarent. Gregorius II. hoc præſtitit, non quidem impellendo, ſed præcipiendo, & Romæ priùs Synodo indictâ, contra ſcilicet Leonem Iſauricum, qui S. Germanum, Conſtantinopolitanum Patriarcham cathedrâ & vitâ privaverat, qui Pontificios Legatos exilio proſcripſerat, qui ſacris Imaginibus crudele bellum intulerat. At Gregorius II. Caroli tempora præceſſit. Igitur non poſtquam Carolus Imperium accepit, Pontifices hæc exequebantur, ſed longè priùs executi fuerant. Inquis, hac arte Romanos Pontifices ab Imperatoribus liberos Italos ſub ſuis legibus redegiſſe. Quòd ut legitimè facere viderentur, uſi ſunt illius donationis prætextu, quam a Conſtantino Magno Sedi Romanæ factam eſſe, fingebant. Quam quidem donationem, quòd confirmaverit Carolus, duplicem affers cauſam; ignorantiam ſcilicet illorum temporum, & Caroli gratitudinem, quâ novellam dignitatem munere aliquo compenſaret.

Major profectò Caroli gratitudo fuiſſet, ſi donationem ipſe primò feciſſet, quàm quòd ab altero factam, confirmaverit. Haud ergo poterat ratio eſſe illius confirmationis gratitudo Caroli, ſi donationis firmitas certò Carolo non conſtabat. Fugis ad illorum temporum caliginem, quâ fallacia iſta tegebatur? Sed quæ temporum caligo talis tantaque eſſe poterat, ut iniquiſſimam uſurpationem obtegeret?

Non

Digitized by Google

Non erat remoti alicujus prædii, non alicujus privatæ domûs, ſed ampliſſimæ civitatis occupatio, eaque non clam facta, ſed Romanis ipſis videntibus, & nunquam reclamantibus, ipſiſmet Imperatoribus conſciis, & neutiquam indignantibus. Si ergo Carolus donationem illam confirmavit, ſi confirmavit ejus filius Ludovicus, uterque quidem exhibuit gratitudinis argumenta; at non in eo gratitudo fuit, ut apocrypham donationem ſuà confirmatione haberent ratam, quin potius minimè de donatione illa dubitantes, eandem non reſanarunt, ſed renovarunt. Nimia demum fuiſſet illorum, aut præcedentium temporum ignorantia, ſi paſſi homines eſſent, hanc principatûs poteſtatem ſibi Pontifices uſurpare, & ipſorum nemo reclamaſſet; omnibus ultrò acquieſcentibus illius donationis prætextui, quam Pontifices obtrudebant, & ipſi penitus ignorabant.

Jus etiam, quod Patronatûs appellas, quodque in Romanam Sedem Carolum, ejuſque Succeſſores, uſque ad Henricum IV., ſibi retinuiſſe, memoras, mendaciorum plurium fabula contexta eſt. Pontificiæ Majeſtatis invidi quidam homines in Romanam Urbem dixerunt jus aliquod ſibi Carolum reſervaſſe, quod perduraſſe volunt ad Carolum uſque Calvum, qui poſtmodum Joanni VIII. Romano Pontifici jus ſolidum in Urbem conceſſit. At in Romanam Sedem nemo hucuſque hoc idem comminiſci auſus eſt. Præterea Carolus Calvus magno temporis intervallo Henricum IV. præceſſit. Demum commentum quoque, quod de Romana Urbe dicunt, non ſine ſolido rationis momento reputamus. Etenim quamvis Eutropius, Longobardus Presbyter, poſt aliquot annos de Carolo Calvo ſcriptum reliquerit: *Renovavit pa-*

ctum

Digitized by Google

ctum cum Romanis, perdonans illis jura regni, & conſuetudinis illius .... Cuncta illis contulit, quæ voluerunt: perperam tamen de nova donatione intelliguntur verba iſta, cùm apertè Scriptor aſſerat, Carolum Calvum non ſimpliciter donaſſe, ſed renovaſſe.

Opponunt inſuper iidem pontificii principatûs hoſtes, Pipinum, & Carolum, Patritiatu potitos etiam fuiſſe; unde tunc temporis duobus inſolidum Patritiis Roma parebat, Pipino nimirum, aut Carolo, & Pontifici. Verùm Pipini, aut Caroli Patritiatus ſolius honoris fuit, abſque dominii participatione, quod totum penes Pontificem remanebat. Quemadmodum poſterioribus quoque temporibus Romani Pontifices Patritios crearunt, at non inde eos ad gubernationis ſocietatem admiſerunt. Cæterum Hadrianus I. abſque Imperatoris, ſtatim ac electus fuit, Romanos Proceres ab exilio revocavit, aliaque plura auctoritatis jura in Urbem exercuit, quæ non niſi, quàm ipſum ſolum, abſque Imperatorum conſortio, principatum in Urbe fuiſſe, demonſtrant. Ipſemet Ludovicus Pius in ſua donatione teſtatur, Romam in illorum etiam Pontificum poteſtate ac ditione, fuiſſe, qui Paſchalem I. præceſſerant. Et ſi qui Imperatores juriſdictionis ſpeciem aliquam in Romanam Urbem exercuerunt, non inde tamen evincitur, integra & antiqua Eccleſiaſticæ ditionis jura, diminuta fuiſſe, aut everſa; quippe id, quod armis actum eſt, haud principatûs eſſe poteſt argumentum.

His tamen tu minimè contentus, jus etiam patronatûs in Sedem Romanam fingis. Jus vocas, quod ſumma fuiſſet injuria; quæque proinde adeo a Caroli pietate ac religione, aliena, ut qui politicam poteſta-

ſtatem integram Pontifici reliquerat, multò magis ſacram credendum eſt intactam reliquiſſe. Ipſumet Carolum audiamus, ad Leonem III. Pontificem iſta ſcribentem in epiſtola, quæ apud Alcuinum extat ordine 84. *Sicut enim cum Beatiſſimo Prædeceſſore Veſtræ Sanctæ Paternitatis pactum inii, ſic eum Beatitudine Veſtra ejus Fidei, ac charitatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero: quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis Veſtræ, divinâ donante gratiâ, Sanctorum Advocatæ precibus, me ubique apoſtolica benedictio conſequatur, & Sanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtrâ ſemper devotione defendatur*. Hoc jus patronatus in Romanam Sedem ſibi pientiſſimus Carolus retinuerat, apoſtolicam ſcilicet benedictionem, quam enixè deprecabatur, & fidelem devotionem, quam inviolabiliter promittebat.

Hîc nos fræno temperare non poſſumus, quin acri ſtylo te pungamus, qui ore impuro, atque nefario calamo, auſus fueris vocare ſuperbiſſimum Gregorium VII., Pontificem plenum Sanctitatis, plenum Majeſtatis. Notiſſimus quidem eſt, at non propter ſuperbiam, quam injuſtè opponis, benè autem propter ejus animum, ad ſublimitatem enutritum, & celſis ſanctiſque ſpiritus cogitationibus ad cœlum uſque elevatum. Non te pudet falſiſſimis maledictorum notis Sanctiſſimum Pontificem fœdâ infamiâ inurere, cujus laudes plurimi Scriptores memoriæ mandarunt ſempiternæ? Otto Friſigenſis, lib. 6. cap. 36. in fine, hoc elogio Gregorium jam mortuum decoravit. *Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur: Dilexi juſtitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe ſuo Regnum ab Eccleſia præciſum graviter perc*uſ-

Digitized by Google

cuſſum fuit, Eccleſia quoque tanto Paſtore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices, præcipui zeli, & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.

Is ille idem Gregorius eſt, qui anno MLXXIX. Boleſlaum, Poloniæ Regem, qui Beatum Stanislaum, Cracovienſem Epiſcopum, occidi juſſerat, diris devovit, & regno privavit. Polonica Hiſtoria, a Longino apparata, ſententiam ejus non ſugillat, quam Deus ipſe probavit, qui Regem inſaniâ, & corpore a canibus lacerato, punivit. *Tam lugubri & crudeli in Sanctum Dei per Boleslaum, Polonæ Regem, occiſione ad notitiam ſummi Pontificis perlatâ, ipſe Pontifex maturâ deliberatione tempus terens, tandem generale interdictum per univerſam Gneſnenſem Provinciam obſervari præcepit, Regem inſuper Boleslaum, & Poloniæ Regnum, omni honore, dignitate, ac excellentiâ regali, privavit, & omnes Principes, & ſubditos, ab ejus ditione abſolvens, obedientiam, & ſubjectionem ſolitam, exhibere vetuit.* Unde Pontifices ſucceſſores regio titulo haud quaquam Poloniæ Principes in poſterum appellarunt; quòd in epiſtolis Innocentii III. obſervavit Spondanus ad an. 1210. n. 4. *Nunquam cum ſuis epiſtolis, tam hujus anni, quàm cæterorum, Regem Polonæ, ſed Ducem tantùm nuncupare, videlicet ad ſententiam privationis regni contra eos latam a Gregorio VII., in pœnam necis Stanislai Martyris.* Denique cùm in Eccleſiaſtica Hiſtoria inſtructiſſimus videri velis, Gregorium tamen noſtrum parum agnoviſſe oſtendis, quãvis eum orbi notiſſimum proclames. Decimo quarto ſæculo Gregorium aſſeris floruiſſe, qui tamen undecimo floruit. Atque inſuper Polonum fingens contrà ipſum importunè debaccharis, cùm eundem Polona

Gens,

Digitized by Google

Gens, ob juſtiſſimè exercitam in impium Regem, atque ſacrilegum, potentiæ ſuæ auctoritatem, eximiè veneretur, & colat.

Ut verò diſſidii, quod cum Henrico Gregorius habuit, res tibi ſolidiùs aperiatur, illorum temporum monumenta oculis tuis uſurpa; & ſic profectò dicacitatem, quam in Gregorium exerces, in poſterum cohibebis. Amantiſſimè Henricum Gregorius proſequebatur, cui antequam in eum ſeveritatem exerceret, clementiæ ſuæ ſpecimina ampliſſima demonſtraverat. Convênit illum ſæpiſſimè per literas & per Legatos, ſed ſe ipſo haud melior factus, obedientiam aliquando ſimulabat, ut plurimum verò pertinaciam in aperto quoque oſtendebat. Tandem Gregorii reprehenſionibus incitatus, Henricus Vvormatiæ Conciliabulum congregat, alterum pertentans Papiæ coadunare. At Pontifex iſta perſpiciens, cognovit, ulteriùs ſimulandi tempus non eſſe. Romæ igitur coactâ Synodo, anno MLXXVI., Henricum, tanquam rebellem catholicæ Eccleſiæ filium, anathematis fulmine percuſſit, regiâ dignitate privavit, ſubditoſque à promiſſâ illi obedientia abſolvit.

At quæ crimina Henrico imputabantur? Si Epiſtolæ tuæ credimus, quòd jus ſuum defendere curaret, hoc crimen erat, quod in Henrico Gregorius animadvertit. At ſi illorum temporum Scriptoribus fidem damus, comperiemus ſanè, Henrici crimina fuiſſe, ſimoniam exercere, atque defendere; Excommunicatis impendere patrocinium, & favorem; crudelitates, libidines, tyrannidem, non ſolùm agere, ſed & profiteri; Chriſti Vicario rebellem injurioſum, & ſeditioſum eſſe; Schiſma, hæreſes, turbas, etiam contra Eccleſiam conflare, & concitare. Par-

vi momenti crimina ſunt ne iſta, quibus feriendis, confodiendiſque, apoſtolicæ auctoritatis gladium haud quaquam tractare debebat Pontifex, fortiſſimus conſtantiâ, & zelo æſtuans? Germaniæ Principes de Imperatore eligendo a Pontifice admoniti, Rodulphum Germaniæ Regem ſalutarunt. Pontifici quidem curare incumbebat, ut ſedes Imperii vacans ob notoriam Henrici perfidiam, fideli, catholicoque Principe repleretur. At quis ſeditionis appellabit molimen, quod potius fuit, & paternæ charitatis, quâ Imperium Pontifex proſequebatur, & legitimæ auctoritatis, quam in Principem perfidum Schiſmaticum, hæreticumve, ritè, & de mente Concilii exercebat, ampliſſimum quidem, & æquiſſimum argumentum? Denique quæ de Epiſcopis memoras, ut in ſequentibus latiori calamo exponis, ita & nos ibidem fuſiori ſermone tractabimus.

§. XV.

EPISTOLA.

ERat hoc tanto facilius Pontifici, quòd veteris Romæ majeſtas multos percellebat; & peregri-
„ nationes crebræ, quæ ad ſacra ſuſcipiebantur lo-
„ ca, occaſionem dabant reverentiæ erga Sedem
„ Romanam inſpirandæ. Horum quoſdam benefi-
„ ciis pertrahebant, alios terrore impellebant; col-
„ latis in indigniſſimum quemque, modò promptus
„ erat obſequio, opimis Sacerdotiis, quæ cùm con-
„ tra Competitores aliter nequirent conſervari, quàm
„ Pontificum auxilio, crevit horum auctoritas in
„ tan-

„ tantum, ut Pallia Romæ petendi neceſſitas tandem imponeretur. Corroborata eſt hæc auctoritas „ novo jure, quod ex Epiſtolis compilatum, & Decretalibus, quas licèt iniquas, impias, abſurdas, „ divino juri pares eſſe juſſerunt, Orbique tunc bonarum literarum rudi & experti, faciliùs potuerunt obtrudere. Hinc frænum Imperantibus injectum, quibus pro libidine regna adimebant, aut „ conferebant. Si quæ Reges inter, eorumque cives, „ ortæ erant controverſiæ, illas hinc decidere, tributa prohibere, pacta reſcindere, fas habebatur. „ Reperti quidem ſunt, qui jura illa, ex quibus „ ſummum conſpicitur Imperium, acriter defendebant; præſertim Reges Galliæ, & Britanniæ, „ quæ nullis minis impellere Pontifices potuerunt, „ ut juri ſuo in totum cederent, etiam tunc, quum romanam adorabant Sedem. Atque hæc paulò copioſiùs; quanquam non pro argumenti amplitudine, a me narrata ſunt, ut hinc pateat, ſuper quibus fundamentis exædificata ſit Hierarchia Romana, cùm non divino nitatur juſſu, non bono propoſito, non honeſtis artibus, ſed impotenti faſtu, „ dolis, injuriis, & legitimorum Principum læſionibus, cœperit, atque adoleverit. Quæ indubiis „ literarum monumentis tradita, non miror a pleriſque noſtrûm ignorari, quum labem hanc ſollicitè ab „ iis celari video, qui publicum commodum ſuis „ poſtponunt emolumentis.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Epiſcopis, non ſolùm illis, qui Romani Imperii finibus continebantur, ſed qui per univerſum ſanè orbem diſperſi erant, Romanos Pontifices jus dixiſſe, recens non fuit Romanæ Curiæ inventum, ſed juſtum ac legitimum poteſtatis illius exercitium, quam Chriſtus Petro dedit, & quæ deinde per Petrum ad Succeſſores ejus tranſivit. Antiquis porrò temporibus Epiſcoporum electiones a Romanis Pontificibus confirmabantur; hocque clariſſima tibi documenta monſtrabunt. Concilium Chalcedonenſe Act. 7. oſtendit, Maximum Antiochenum a Leone magno in Epiſcopatu ſuo confirmatum. Quòd ſi ejuſdem Leonis Epiſtolas legere volueris, in 54. Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi confirmationem invenies; in 84. 87. aliiſque ſequentibus, aut confirmationis iſtius plura deprehendas exempla, aut inconcuſſa jura cognoſces. S. Gregorius magnus lib. 4. epiſt. 34. indic. 13. cum Conſtantia Auguſta conquerebatur de Salonitani Epiſcopi ordinatione, quæ ipſo neſciente facta fuerat. Quòd quidem, ait, nunquam ſub anterioribus Principibus eveniſſe. *Salonitanæ Civitatis Epiſcopus, me, ac reſponſali meo, neſciente, ordinatus eſt; & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus evênit.* Non tamen electiones omnes Epiſcoporum Romani Pontifices per ſe ipſos confirmabant, cùm plerumque Patriarchis, atque Primatibus, id muneris legamus commiſiſſe.

At Pontifices non ſolùm confirmarunt Electos, verùm quoque ſæpiſſimè malè ſe gerentes Epiſcopos depoſueru nt. Agapetus Papa Anthimum, Conſtantino-

tinopolitanum Patriarcham, e patriarchali ſede dejecit, ejuſque loco Mennam ſuis ipſe manibus conſecravit. Refert Zonara in Juſtiniani vita. Damaſus Flavianum, Antiochenum Patriarcham; & Polycronium, Hieroſolymitanum, Sixtus III. ſacerdotali throno privarunt. *Dioſcorum, ſecundæ ſedis Præſulem, ſuâ auctoritate Sedem Apoſtolicam damnaſſe*; teſtis eſt Gelaſius I. in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos. Uberiora Scriptores noſtri exempla ſubminiſtrabunt, quibus certiſſimè evincitur, quovis tempore auctoritatis ſuæ jura, quæ a Chriſto Domino receperunt, ſupra univerſi orbis Epiſcopos, Romanos Pontifices exercuiſſe.

Non igitur concuſſo Henrico hæc ſervitus Epiſcopis a Gregorio eſt impoſita, ut jurejurando in ſua verba adigerentur. Jampridem a primis Eccleſiæ ſeculis hanc ſubordinationem Epiſcopi Romanis Pontificibus profitebantur. Enim verò vel ad illos ſæpiſſimè ab inferiorum Judicum ſententiis appellabant, ut ex can.7. Concilii Sardicenſis conſtat, & exemplis plurimis, quæ catholici Scriptores a Novatorum cavillationibus vindicant; vel ab iiſdem diſpenſationes petebant, ut ex Gregorio magno fit manifeſtum, qui lib. 12. epiſt. 32. indic. 6. in gradibus circa matrimonium prohibitis, cum Anglis ait ſe diſpenſaſſe; & cum Siculis diſpenſavit, ut ſemel in anno Concilium celebrarent, quod aliàs, juxta can. 1. Concilii Nicæni I., bis in anno facere tenebantur. Crebræ Epiſcoporum peregrinationes ad ſacra loca Romæ veneranda, ut aſſeris, reverentiæ etiam Epiſcoporum, & ſubjectionis erga Apoſtolicam Sedem, fuere argumentum; cùm antiquis illis temporibus ad limina, ut dicitur, Apoſtolorum, quemadmodum modo faciunt, Epiſcopi devenirent. Sa-

Digitized by Google

Sacerdotia iis ſanè hominibus conferebant Pontifices, qui Romanæ Sedi ſeſe addictos oſtendebant, illiſque negabant, qui ab eadem ſacrilego ſchiſmate ſeparabantur. Non enim rebellem pertinaciam oportebat Eccleſiæ beneficio honeſtare, nec fidelem obedientiam ſine præmii compenſatione deſerere. Has juſtitiæ leges Politici Principes, ne a recti regiminis tramite aberrent, cùm exactiſſimè obſervare teneantur, quanto magis ad eaſdem colendas, ſervandaſque, obſtrictus ille erit, qui ſacri ac ſupremi in Eccleſia principatûs faſtigio decoratur? Inculcabant quoque ſæpe ſæpius ſæcularibus Principibus Pontifices, ne Sacerdotia pretio venderent, ne conferrent indignis. Quòd præſtitit contra Philippum, Gallorum Regem, Gregorius VII., Roderico Epiſcopo Cabilonenſi, ſcribens. *Moneat Regem, tam turpi mercimonio quæſtûs abſtineat. Epiſcopo Matiſconenſi, legitimè, ac regio etiam nutu electo, negotium, & moras ne faciat; alioquin cenſuris feriendum, regnoque caſurum.* In ejuſdem Gregorii epiſtolis legitur, lib. 1. epiſt. 35. Si ergo Pontifices dignorum hominum præſentationes Principibus imperabant, multò magis digniores debebant, vel eligere, vel jam electos confirmare. Indigniſſimi tamen, te judice, erant Epiſcopi, qui Pontificibus morem gerentes, apoſtolicam gratiam cujuſlibet Principis benevolentiæ præferebant; Nobis contra, & ob hoc digniſſimi probantur. Non enim aſſentationis turpe vitium audiebat, ſed debitæ ſubjectionis munus, quo in Sanctæ Sedis communione, & in ſummorum Pontificum obedientia, conſervabantur.

De Pallio, contra tuos, Tuorumque novos imponendi modos, dicimus, antiquiorem ejus eſſe

uſum,

uſum, quàm ut calumniæ patere poſſit, vel eorum maledicentiæ, qui has juris novi tendiculas fuiſſe effutiunt, ad deprimendam, ſtrictiùſque ſubjiciendam Romano Pontifici Metropolitarum amplitudinem. Gregorii Magni temporibus, quamplurimis Præſulibus Pallium ab ipſo fuiſſe datum, non paucæ ejus epiſtolæ teſtantur. Idem Gregorius Ravennati Antiſtiti præcepit, ne aliis diebus, vel officiis, quàm quibus per leges Eccleſiæ liceret, Pallio uteretur. Pallii miſſione electi Metropolitæ, vel Primatis, aut Archiepiſcopi, ordinatio confirmabatur. Hinc Pallium electionis & conſecrationis, quaſi ſigillum & munimen, Electis & Conſecratis, erat. Gregorius Magnus, lib.4. epiſt.8., de Joannis primæ Juſtinianæ Illyrici Epiſcopi electione, ad univerſos per Illyricum Epiſcopos, iſta ſcribebat. *Proinde juxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum Fratrem & Coepiſcopum noſtrum, in eo, in quo eſt Sacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſûs auctoritate firmamus: ratumque nos ejus conſecrationem habere, dirigentes Pallium, indicamus.*

Cùm ergo Pontifices electiones iſtas ut plurimum per ſe ipſos confirmarent, vel hinc nobis certò etiam conſtat, Electis Pallia de more tranſmiſiſſe. Quòd idem Gregorius lib.4. epiſ.8. antedicto Joanni Pallium ex more ſe miſiſſe ſignificavit. *Pallium verò ex more tranſmiſimus*. Sæculo inſuper pene integro ante Gregorii tempora, Symmachus, Romanus Pontifex, Cæſario, Arelatenſi Metropolitæ, Pallium miſit; quòd accidit ſæculo quinto labente. Nec igitur Pallii inſtitutio nova eſt; nec illud a Pontificibus petendi neceſſitas de novo inducta. Novatorum quidem conſuetum eſt vitium, antiquiſſimis Eccleſiæ

ara-

traditionibus novitatem obtrudere; quo ſcilicet prætextu novitatis notam effugiant, quam nobis conantur impingere. At hunc fucum aliis facere poſſunt, quàm iis, qui vel leviter quoque in Eccleſiæ monumentis evolvendis verſati ſunt; quibus facilè ut catholica veritas, ita & Hæreticorum fraudes innoteſcunt.

In veterum Pontificum Decretales Epiſtolas quæ eructas dicteria, jam Blondellus, notiſſimus inter Calvinianos, evomit. At quòd pluris eſt; non ſolùm illas, abſque ullo diſcrimine, ſuppoſitas & adulterinas eſſe, pronunciaſti, verùm quoque iniquas, impias, abſurdas. Dubitant quidem noſtrorum temporum Critici de genuinitate Epiſtolarum illorum Pontificum, qui uſque ad Siricium floruerunt, iis exceptis, quæ inter opera SS. Patrum, vel veterum Hiſtoricorum, reperiuntur, quas genuinas eſſe, nemo contendit. At de ſanctitate earumdem, de pietate, de honeſtate, nec unus inter Catholicos dubitavit; quòd profectò ſatis fuit, ut ex illis novum jus, quod Canonicum dicimus, ex parte componeretur. Tu verò omnes, nullâ diſtinctione præmiſsâ, ſpurias eſſe, tanquam ex tripode, judicaſti: Et quaſi tibi non fuiſſet ſatis, eas legitimis parentibus abjudicare, in partûs etiam innocentiam inſævisti, eaſdem triplici confodiens vulnere, iniquitatis ſcilicet, impietatis, & deformitatis.

Nos verò nec eas tanti æſtimamus, ut divino juri pares eſſe putemus. Neque hoc Pontifices juſſerunt unquam, nec nemo noſtrûm credidit. Putidiſſimum commentum eſt, quod dicacitati tuæ debemus, quæ ſuper convicia in Epiſtolas illas mendacia imponit, quibus in noſtram invehi poſſis ſinceritatem, &

fidem.

Digitized by Google

fidem. Quæ de Epiſtolis illis nos ſentimus, vel ex eo tibi conſtare poterunt, quòd in illis ut plurimum Pontifices diſpenſent, cùm tamen nefas ſit, illos in divino jure diſpenſare. Audi Annalium Parentem, cujus verba afferimus, non quòd credamus tibi auctoritatis eſſe illum, quem Conſectarii tui, tam acri, tamque adverſo animo inſectantur, ſed ut videas quid de Epiſtolis illis Scriptores noſtri ſentiant. Baronius ergo tom. 10. ad an. 865. hæc ait. *At verò ex multis eas reddi ſuſpectas epiſtolas, quæ dicta ſunt ſecundo Annalium tomo, dùm de illis ſingulis mentio facta eſt, ſatis eſt demonſtratum; ſimulque oſtenſum, illis non indigere S. Romanam Eccleſiam, ut ſi falſitatis arguentur, ſuis ipſa deſtituatur juribus & privilegiis; cùm, etſi illis darent, ex legitimis germaniſque aliorum Pontificum Romanorum Epiſtolis Decretalibus ſatis ſuperque corroborata conſiſtat.*

Regibus regna aut ademiſſe, aut conſervaſſe Pontifices pro libidine, juxta morem pro arbitrio comminiſceris. Principes ut plurimum implorarunt Pontifices, ut ſibi regalis dignitatis inſignia & titulos impartirentur; rogarunt quoque, ut regna ipſa aut ſibi concederent, aut ſibi convenire atque deberi, judicarent. Galliæ regnum Pipino, & Succeſſoribus ejus, à Romanis Pontificibus adjudicatum, ſuperiùs memoravimus. Hungariæ Ducatus a Sylveſtro II. regiam dignitatem, in S. Stephani Regis perſona, anno milleſimo, petiit, & obtinuit. Cartuitius Epiſcopus in S. Stephani vita ad Colemmanum Regem, apud Surium, die 20. Auguſti, hæc refert. *Stephanus Aſtricum Præſulem ad SS. Apoſtolorum limina miſit, petiturum, ut recens converſæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, & ipſum Ducem regio diademate coho-*

P neſta-

neſtaret, ut eo fultus honore, quæ divinæ gratiæ adjutorio cæpiſſet, ea magis magiſque promovere poſſet. Anno inſuper ſeptuageſimo ſexto ſupra milleſimum, idem effecit Gregorius VII. cum Demetrio, Dalmatiæ Rege; unde Rex eidem Pontifici, & Succeſſoribus jure jurando ſe obſtrinxit, quemadmodum in Vaticana Bibliotheca authenticum extat documentum, quod Baronius ad præmemoratum annum adducit. *Ego Demetrius, Dei gratiâ, Apoſtolicæ Sedis dono, Rex, ab hac hora, ut antea, S. Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, ſuiſque Succeſſoribus, canonicè intrantibus, ero fidelis &c. Regnum autem, quod mihi per manum tuam, Domine Gebizo* (Pontificii Legati nomen erat) *traditur, fideliter retinebo*.

At calamum ad Poloniæ Reges convertamus. Cartuitius, quem nuper laudavimus, de Boleslao, Meiſcæ filio, quem ipſe Meiſcam nominat, Poloniæ Duce, hæc literis mandavit. *Meiſca, Polonorum Dux, chriſtianam complexus Fidem, Legatos ſuos Romam miſerat, ut Pontificis benedictionem, & regium ipſi titulum imperrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & jam coronam egregio opere effici curaverat, quam ei mitteret, ſuâ benedictione adjunctâ. Sed quia novit Dominus qui ſunt ejus, qui etiam duobus Apoſtolis propoſitis Matthiam ſocio ſuo prætulit, & cum Apoſtolis annumerandum curavit, illâ coronâ Stephanum ornari voluit, poſtea feliciùs gloriâ ſempiternâ coronandum. At Polonorum rerum Scriptores indignè habentes, quòd corona Poloniæ Duci parata, Dei monitu Hungariæ Duci data fuerit, tradunt, Poloniæ Ducem ab Ottone Imperatore regium nomen, ac regiæ dignitatis inſignia, accepiſſe*. Verùm Annalium Parens ad hæc reponit, ad an. 1000. verbis hiſce. *At in his minimè ipſis aſſentiri poſ-*

Digitized by Google

poſſumus: Si enim accepiſſet ab Ottone Imperatore, cur opus fuit poſtea quærere ab ipſo Romano Pontifice, poſt Ottonis obitum, imperante Henrico Imperatore? Non igitur id factum per Ottonem putamus, magis perſuaſi auctoritate ſeculi hujus Scriptoris laudatiſſimi Petri Damiani, Epiſcopi Oſtienſis, S. R. E. Cardinalis, veritatis in omnibus amantiſſimi.

Petri Damiani verba apud Surium, tom. 3. die 19. Jun. c. 32. hæc ſunt. *Buſclavus* (Boleslaus corrupto vocabulo, aut depravato textu, Buclavus dicitur) *autem volens coronam ſui regni ex romana auctoritate ſuſcipere, prædictos Venerabiles Fratres obnixè cœpit ſupplicatione depoſcere, ut ipſi plurima ejus dona Papæ deferrent, & coronam ſibi a Sede Apoſtolica reportarent.* Ulteriora Petri Damiani verba ſubjungit Baronius, facti rationem referentia, poſt quæ ipſe concludit. *Quibus apparet, nullatenus de Ottone Imperatore, ut tradunt, Regis titulum Boleslaum obtinuiſſe, quem conſtat eſſe quæſitum tempore Henrici Imperatoris ejus ſucceſſoris, non ab Imperatore, quem, ut audiſti, ſibi expertus fuerat adverſantem, ſed a Romano Pontifice, a quo id petere primùm cœpit.* Denique Gregorius VII. qui regium titulum Demetrio, Dalmatiæ Duci, tribuerat, regiis quoque inſigniis ac nomine Boleslaum, Poloniæ Regem, privavit, propter cædem S. Stanislai, Cracovienſis Epiſcopi, ab ipſo mandatam. Gregorii autem ſententiam Longinus in Polonica Hiſtoria teſtatur. *Mox ſecuta eſt divina executio, quum poſt alia mala ipſe Rex, ut alter Cain, factus eſt profugus ſuper terram; demumque verſus in inſaniam; ac dum errabundus vagaretur, morte præventus a canibus eſt devoratus, anno Domini milleſimo octogeſimo primo.*

Hoc ſanè frænum Pontifices perfidis imperanti-

 bus

bus injecerunt, quo a perfidia, & iniquis operibus arcerentur; & quod præſtare nollent virtutis amore, ſaltem facerent formidine pœnæ; Regna autem & ademerunt, & conſervarunt; quemadmodum & regia inſignia & nomen regium, & conceſſerunt, & abſtulerunt; at non pro arbitrio, cùm non voluntas pro ratione, ſed ratio in illis ſteterit pro voluntate. Cæterum quid allatis monumentis expreſſius, & quid exploratius, optas, quo tibi oſtendatur, non violentam fuiſſe, ſed legitimam Pontificum poteſtatem, quam in Reges & in regna, exercuerunt? Cùm Reges ipſi & regna ad eoſdem confugerent, tanquam ad communes Chriſtianorum Patres, eorundemque in ſe ipſos, ſuaque regna, a Chriſto Domino acceptam auctoritatem, profiterentur?

Controverſias inter Reges & Cives exortas Pontifices, ut plurimum ab ipſiſmet advocati, ita componere ſtuduerunt, ut niſi Religionis cauſa Regibus obſtaret, ſemper pro illis judicare, ſubditoſque rebelles ad debitam catholicis piiſque Regibus obedientiam coegerint. Anno octingenteſimo octavo Regem Nordhanhumbrorum, regno pulſum a ſuis, Leo III. ſolio reſtituit. Teſtis eſt Aimonius, vel potiùs Adelmus, in Annalibus Regum Franciæ. *Interea Rex Nordhanhumbrorum deductus eſt in regnum ſuum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reverſi ſunt*. Anno item octingenteſimo trigeſimo tertio Gregorius IV. Imperio reddidit Ludovicum Pium, Caroli Magni filium, quum is in Epiſcoporum Synodo, Compendii habita, exauthoratus imperio fuerat, & Lotharius ejus filius, Imperator ſalutatus. Damnavit inſuper invicto animo Pontifex falſas Procerum criminationes, Lugdunenſem Archiepiſcopum

Digitized by Google

Sedè dejecit, abrogationis decretum reſcidit. Æmilius lib. 3. rerum francicarum, in Ludovici Pii vita, hæc ſcripta reliquit. *Lugduni Concilium Epiſcoporum, quos filii Regis contraxerant, habitum; imperiumque Patri abrogatum. Quod decretum mox a Gregorio Pontifice Maximo, reſciſſum eſt, & audacia Archiepiſcopi Lugdunenſis mulctata; ex Sede enim dejectus eſt.*

Ubi verò Pontifices compererunt, Principes, vel in Religione Fidei pertinaciter aberraſſe; vel Fidei hoſtibus præſidium ac patrocinium cum Eccleſiæ diſcrimine, paraſſe; vel ab Apoſtolicæ Sedi debita obedientia & fide, deſciviſſe; tunc illi nihil ſanè antiquius putarunt, quàm Fidei cauſam totis viribus ſuſtinere, iiſque apertum indicere bellum, qui Religioni prælium parare nitebantur. Subditos jurejurando Principibus præſtito, ſolverunt; quum illis nequirent obedientiam exhibere, qui eandem Deo, ejuſque Vicario denegaſſent. Regna ad alios transtulerunt Principes; Populorumque Fidei integritati ac puritati conſulentes, ne ſub impio Rege Fidelis puſque Populus ab avitæ Religionis præſcripto deflecteret. Principes demum uti rebelles, contumaces, ſchiſmaticos atque perfidos depoſuere; ut paſtoralis officii debito omni ex parte reſponderent, quo non tantùm agnos ſervare, ſed & lupos tenentur arcere.

Hinc non levi injuriæ notâ audes inurere, & Chriſtianiſſimos Galliæ Reges, primogenitos Eccleſiæ filios: & Reges Brittanniæ magnæ, ſtrenuiſſimos Fidei defenſores, quum eos violatæ obedientiæ in Apoſtolicam Sedem accuſas. Defenderunt ſiquidem iſti temporalem poteſtatem, quæ ſibi divinitus data fuerat; ſed non a Pontificibus defenderunt, qui eam minimè tentaverant perturbare. Quòd ſi Pontifices ipſos au-

audiamus, tantùm abeſt, ut ii Regni jura contra Gallorum Reges læderent, quòd potiùs eadem contra perturbatores quoſque tueri conati ſunt. Honorium III. accipe epiſt. 21. hæc ſcribentem. *Quantùm Romana Eccleſia Regni Francorum mala deſideret evitare, immo quantùm ejus tranquillitatem affectet, facilè poterit intelligere quiſquis devotionem ipſius Regni ad illam, & grata ſubſidia, quæ in illo invenit tempore opportuno, intentâ mente voluerit cogitare .... Abſit enim ab Apoſtolica Sede, & a nobis, qui ei diſponente Domino præſidemus, ut nobis tantorum veniat oblivio meritorum, & ut tantæ ingratitudinis vitio laboremus, quòd iis non ſtudeamus ſinceris affectibus reſpondere.*

Pontifices quoque non pauci faſſi ſunt non ſemel, ſpiritualem in mundo poteſtatem Pontificum eſſe, temporalem verò Regibus abſolutè, ſeu ordinariè & directè, ut dicitur, convenire. Gelaſius in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, quæ habetur *can. duo ſunt diſt. 69.* hæc ſcripſit. *Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas.* Alexander III. interrogatus, an valeret appellatio a ſæculari Judice ad Pontificem facta? *Cap. ſi duobus* §. *denique, extra, de Appellationibus*, reſpondit. *Tenet quidem in his, qui ſunt noſtræ temporali juriſdictioni ſubjecti, in aliis verò ſecundùm juris rigorem credimus non tenere.* Innocentius III. *cap. ſolitæ, extra, de majorit. & obedient.* hæc loquitur. *Ad firmamentum Cœli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas. Sed illa quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, major eſt; quæ verò carnalibus, minor; ut quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta inter Pontifi-*

ces,

Digitized by Google

ces & Reges differentia cognoſcatur .

Hæc profectò de temporali poteſtate intelliguntur, quam directam & ordinariam dicunt, & quam Pontificibus in aliorum Priucipum regna non convenire, ultro fatemur. Poteſtatem verò, quam indirectam appellant, & quam a Pontificibus oportet in Reges eorumque temporalia bona exerceri, quoties tuendæ Religionis neceſſitas urget, Pontificibus ineſſe, & jura ipſa probant, & innumera pene exempla confirmant. Porrò Sancti Patres docent, quos apud catholicos Scriptores noſtros, rem iſtam ex propoſito tractantes, invenies, ita in Eccleſia, vel inter Chriſtianos, Pontificiam & Politicam Poteſtatem ſe habere, quemadmodum ſpiritus & caro ſe habent in homine. Et cùm caro ſpiritui ſubiiciatur, & ſpiritus carni præſit, quamvis carnis actionibus ſpiritus non ſe immiſceat, ſed ſinat eam ſuas exercere operationes; attamen quando operationes carnis ſpiritui adverſantur, ipſiuſque fini opponuntur, tunc ſpiritus carni imperium dicit, ab incepto facit eam deſiſtere, ſupplicio comprimit, quibuſdam etiam actionibus illam privat, quas ab eadem antea exerceri permittebat. Non abſimiliter Politica poteſtas Pontificiæ ſubiicitur, cùm illius finis, qui temporalis eſt, hujus ſupernaturali fini ſubordinetur. Non enim naturalis felicitas, quæ eſt finis politicæ poteſtatis, ultimus dicendus eſt finis; cùm ſupra eam ſupernaturalis felicitas habeatur, quæ eſt finis eccleſiaſticæ poteſtatis, ad quam referri naturalem felicitatem, omnino oportet.

Quamvis ergo ſpiritualis poteſtas actionibus politicæ potentiæ non ſe immiſceat, quando actiones ejus ſupernaturali fini non opponuntur; quando tamen

men eædem temporalis poteſtatis actiones fini ſupernaturali conſequendo adverſantur, tunc illius finis ratione, a quo avertuntur Fideles, & ad quem Fideles convertere, & reducere, ac revocare, Pontificibus incumbit, politica poteſtas eccleſiaſticæ ſubiicitur. Ac in iis quidem caſibus Pontifices deponunt Principes, tributa prohibent, pacta reſcindunt; hocque præſtare non tantùm juſtiſſimum habent, verùm quoque neceſſarium; ita quòd ab ipſis fieri non ſolùm poſſit, ſed & inſuper debeatur. Hinc Innocentius III. *cap. novit de Judic.* ſcribebat. *Non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum ſpectat judicium, ſed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura.*

Directè quidem, ut ajunt, Pontificum poteſtas peccata reſpicit Populi; attamen quia nequit quandoque Pontifex peccata a Populo, vel a Principibus, avertere, niſi temporalia moderetur, a quorum inordinata diſpoſitione, ſaltem pro illo caſu, peccata comperit proveniſſe: Hinc eſt, quód & ut peccata vel a Populo, vel a Principibus eliminet, & ut ad meliorem pietatis frugem ſive Populum ſive Principes revocet, debet Pontifex etiam in temporalia falcem immittere, in eiſque indirectam, ut dicunt, extraordinariam juriſdictionem exercere. Quod appoſitè S. Bernardus lib. 1. de conſideratione ad Eugenium III. ſcribebat. *Aliud eſt incidenter excurrere in iſta, aliud verò incumbere iſtis, tanquam dignis tali, & talium intentione rebus.* Et laudatus Innocentius III. *cap. per venerabilem, qui ſint filii legitimi*, inquit. *Caſualiter dumtaxat temporalem juriſdictionem in aliorum regnis & urbibus a Pontificibus exerceri.*

Quæ cùm ita ſint, quâ veri ſaltem ſimilitudine po-

Digitized by Google

potuerunt Magdeburgenſes lib. 2. cent. 1. cap.4. inter Antichriſti notas inſerere , quòd Romanus Pontifex duos gladios in manu habeat ? Sanè Petro duos gladios Chriſto oſtendenti , quos manibus quoque tractabat ; *ecce duo gladii hìc* ; non nimis , ſed ſatis eos eſſe , Chriſtus reſpondit . *Satis eſt* . Quæ verba expendens Bernardus lib.4. de conſiderat. cap.3. Eugenio ſcripſit . *Quem tamen* (hoc eſt, gladium) *qui tuum negat , non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic : Converte gladium tuum in vaginam . Tuus ergo , & ipſe tuo forſitan nutu , & ſi non tuâ manu , evaginandus; alioquin ſi nullo modo ad te pertinet, & his dicentibus Apoſtolis , ecce duo gladii hìc , non reſpondiſſet Dominus , ſatis eſt , & non nimis eſt . Uterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius , & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia , ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt . Ille Sacerdotis , & Militis manu ; ſed ſanè ad nutum Sacerdotis & juſſum Imperatoris .*

Ad magnæ Brittanniæ Reges modò calamum vertamus . Henricus VIII. is primus fuit , qui Luthero , & Calvino , præeuntibus , Pontifici in Reges poteſtatem eſſe , negavit; huncque errorem ſibi viam in hæreſim paraſſe , ex Gallico Scriptore diſcimus . Gramondus lib. hiſt. ad ann.1615. , totum Clerum Gallicanum, Galliæ ſcilicet Ordinem Eccleſiaſticum, perorante doctiſſimo Perronio , in ea , tradit , fuiſſe ſententia, ut propoſitionem, quâ Pontificibus in Reges poteſtas negabatur , tenerent , *novam eſſe* ; *Luthero & Calvino fautoribus nuper notam , cui veterum ſubſcripſit nemo , recentiorum pauci , tanquam dogma politicum defendi poſſe ad ſummum . Eo errore primum fuiſſe Henrico VIII. , Angliæ Regi , viam in hæreſim* . Cæterum obſequentes adeo Gallos & Anglos , quos tu

Digitized by Google

dumtaxat laudando ſugillas, pontificiæ poteſtati quam ſupra politicam agnoſcebant, fuiſſe ſcias, ut quum a Clemente V. an. 1305. Veneti, quòd Ferrariam occupare auſi eſſent, ſacris interdicti, eorumque bona primis occupantibus expoſita fuiſſent, multa incommoda a Gallis, & ab Anglis, ut Pontifici morem gererent, experti fuerunt. Teſtis eſt Platina, in Clementis vita prope initium. *Quamobrem Gens ipſa* (Venetorum ſcilicet (*mercaturæ admodum dedita in Anglia & in Gallia, maxima incommoda perpeſſa eſt*. Eidem Clementi V. Philippus IV., Galliæ Rex, ut ſibi imperium conferre dignaretur, hæc deprecans exponebat. *Cui enim fict injuria, ſi vacantis imperii conditio permutetur? Idem fecerunt olim Pontifices alii.* Referunt Vicerius in lib. de geſtis Henrici VII., Æmilius in Philippo pulchro, aliique Galliæ rerum Scriptores.

Videant modò Epiſtolæ tuæ, ſeu potiùs Libelli tui Lectores, quam putidè oleſcant quæ in Pontifices, ac in Reges mendacia obtrudis. Hæretico homini parum fuit in Eccleſię Principes calamum acuere, ſi etiam venenato ſtylo Sæculi Poteſtates non feriebat. Aſſeris demum, ex dictis tuis patere, ſuper quibus fundamentis exædificata ſit Hierarchia Romana. Nos contrà inferimus, patere potiùs, quibus fundamentis Epiſtola tua innixa ſit. Non divino ſcilicet verbo, non bono propoſito, non honeſtis artibus, ſed audaci faſtu, dolis, injuriis, & Catholicorum Principum nominis, ac famæ detrimentis; quos ut impudentiſſimis conviciis lacerare non metuis, ita & audaciſſimis mendaciis cauſæ tuæ patronos effingis.

EPI-

Digitized by Google

§. XVI.

EPISTOLA.

ALios rurſus video, qui cùm vitioſum hujus Hierarchiæ initium negare nequeant, eam tamen „ affirmant oppidò eſſe neceſſariam ad pacem in Ec. „ cleſia conſervandam; abſque qua ſi eſſet, nullus „ in dogmatibus chriſtianis foret concentus, ſed to- „ tus orbis perniciosis laceraretur diſſidiis, quæ Pa- „ pa ſuâ compeſcit auctoritate. Hoc igitur eſt, quod „ jam mihi explicandum propoſui. Nam primò effe- „ ctum hunc, quem tantopere noſtri jactant, negant „ Hæretici hinc produci; demonſtrantes in Eccleſia „ quoque Catholicorum Doctorum ſententias in „ multis Fidei articulis diſcrepare, integraſque repe- „ riri Sectas, quæ diverſis inſtitutis vivunt, ac opi- „ nionibus. Deinde longè graviſſimum Eccleſiæ im- „ pendere diſcrimen ex unius potentia, qui contro- „ verſias cunctas non S. Scripturæ auctoritate, ſed „ ex ſuo uſu & arbitrio decidit. Præſertim cùm ſu- „ pra Concilia ſe gerat, & libertate dijudicandi ipſis „ ademtâ, cuncta ad ſuam referat libidinem. Et „ profectò qui poſteriorum expendere velit decreta „ Conciliorum, multa in ipſis reperiet, quæ verbo „ divino contraria, parum decoris Eccleſiæ Catho- „ licæ conciliaverint. Neque aliter fieri potuit, cùm „ vis Pontificum, invitis & diſſentientibus Eccleſia- „ rum Doctoribus, ſeniores ſuppreſſerit ſententias. „ Quod certè factum eſſet nunquam, ſi ſacram Scri- „ pturam, non arbitrium Pontificis, controverſiarum „ poſuiſſent normam.

MOnarchicum Eccleſiæ regimen hîc niteris oppugnare. At incaſſum; uti poſteriorum temporum Hæretici in proſpero etiam exitu conati ſunt. Calvinus, Illyricus, Brentius, toti fuerunt, ut omnem Monarchiæ ſpeciem excluderent ab Eccleſia, & Ariſtocratiam, Democratiamve, in ſuo regimine extollerent, celebrarentque. At neque inter ſeipſos convenientibus, modò primas dederunt Plebi, ut Illyricus; modò Senioribus, ut Calvinus; modò tandem, ut Brentius, ſæcularibus Poteſtatibus contulerunt. Catholici verò Scriptores contra illorum omnium commenta demonſtrarunt, eccleſiaſticum regimen, hominibus a Deo commiſſum, monarchicum quidem eſſe, ſed ex ariſtocratia & democratia temperatum. Quod oſtenderunt ulteriùs, propter humanæ naturæ corruptionem, cæteris gubernaculorum formis, utilius quidem eſſe, atque præſtantius. Porrò hoc regiminis genus ſummis laudibus extulerunt; non tantùm Philoſophi, ſed & Patres. Iſtorum verba afferre neque temporis hujus, neque loci; eadem facilè invenies apud catholicos Scriptores noſtros, qui rem ſibi ex inſtituto tractandam ſumſerunt.

Quod verò Eccleſiam reſpicit, hæc in medium afferre, non inutile judicavimus. Debebat Chriſtus in Eccleſia ſua aliquod regimen conſtituere; aliter non fuiſſet, neque eſſet, Eccleſia veluti Caſtrorum acies ordinata, ſed quædam potiùs inferni imago, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Quod etiam, Actorum 20., ab Apoſtolo dictum fuiſſe legimus. *Attendite Vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſanè regimen diſtinctum ab illo eſſe oportebat, quod politicum appellamus; tempore enim illo, quo præfata Actorum verba dicebantur, nullum adhuc inter Chriſtianos politicum gubernaculum exercebatur, cùm nulli ſæculares Principes eſſent, qui Chriſto nomen dediſſent. Regimen ergo, de quo Apoſtolus loquebatur, eccleſiaſticum erat, non politicum; & quidem a Chriſto Domino inſtitutum; & inſtitutum profectò tanquam cæteris utilius, atque præſtantius. Utilitati nanque Eccleſiæ ſuæ, ejuſque decori, proſpiciebat Chriſtus; & cùm Eccleſiam ſuam optimè gubernandam vellet, de optimo quoque ac præſtantiſſimo regiminis genere eam providit, quod monarchicum fuiſſe, nemo inficias ibit, qui ſciet hujuſce regiminis ſupra cætera utilitatem, atque præſtantiam.

Præterea cùm Chriſtus ſoli Petro univerſalem Eccleſiam tradiderit gubernandam, ſoli Petro claves dederit, ſupra ſolum Petrum Eccleſiam fundaverit, ſoli Petro demum ut Paſtori agnos paſcendos conſignaverit, & oves; ut in ſuperioribus oſtenſum eſt; quid amplius morari oportet, ut ſciamus, Eccleſiæ regimen monarchicum fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum, cùm hoc idem, quod uni Petro Eccleſiam tradiderit gubernandam, planè oſtendat, monarchiam in Eccleſia inſtituiſſe? Chriſtus inſuper ſi viſibile caput Eccleſiæ fuit, quando in terris verſatus eſt, hoc ipſo dicendum eſt, monarchicum in Eccleſia regimen excitaſſe. Conveniens autem erat, idem in Eccleſia regimen relinquere, quod ipſe exercuerat, ſi non diverſam Eccleſiam ab ea, quam ipſe inſtituerat, & rexerat, futuram eſſe volebat.

At reponit ad hæc Calvinus, aſſerens, illud idem regi-

Digitized by Google

regimen, quod Chriſto vivente in Eccleſia erat, modò etiam Chriſto regnante in eadem Eccleſia eſſe; cùm idem Chriſtus ſemper ſit caput, tunc quidem viſibile, modò autem inviſibile. Verùm manifeſtè fallitur fallendi Magiſter, cùm non idem, ſed planè diverſum, ſit modò Eccleſiæ regimen ab eo, quod Chriſtus exercuit, ſi præter Chriſtum aliud caput, quod viſibile ſit, Eccleſiam modò non regat. Erat enim tunc convenientia inter corpus & caput, cùm utrumque viſibile eſſet, at modò quæ conformitas inter viſibile corpus, & inviſibile caput? Eſt quidem Chriſtus hoc etiam tempore Caput Eccleſiæ inviſibile; at requiritur præterea caput etiam viſibile, quod inviſibilis vicem gerens in viſibili Eccleſia præſideat. Hoc ſanè pacto regimen Eccleſiæ, quod modò eſt, ab illo, quod tunc temporis erat, diſſimile non reputabitur.

Monarchicum ulteriùs regimen neceſſarium eſſe ad pacem in Eccleſia ſervandam, non modò nos dicimus, ſed Patres ante nos docuerunt. Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. hæc ad Magnum de Novatiano ſcribebat, qui Romæ Epiſcopus fieri conabatur, ibidem jam Cornelio ſedente. *Icirco Dominus inſinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit, & dicit: Ego, & Pater, unum ſumus: Ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuo dicit: Et erunt unus grex, & unus Paſtor. Si autem grex unus, quomodo poteſt gregi annumerari qui in numero gregis non eſt? Ut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & a ſe ipſo incipiens, alienus ſit, & profanus?* Hieronymus contra Jovinianum lib. 1. *Ex duodecim unus eligitur, ut, capite conſtituto, ſchiſmatum tollere-*

leretur occaſio. Leo magnus ſer. 3. de aſſumtione ſua. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. Optatus Milevitanus, ut plures alios ſilentio involvamus, lib.2. contra Parmenianum. *Cathedra una eſt, & negare non audes, ſcire te Petro primùm in urbe Roma cathedram eſſe collatam, ubi ſederit omnium* Apo*ſtolorum caput. Petrus, inde Cephas appellatus, in quo uno cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra una eſt, quæ eſt prima de dotibus. In ea ſedit primus Petrus, ſuccedit Linus &c.*

Nullus profectò in dogmatibus chriſtianis concentus foret, ſi hæc unitas in Eccleſia non ſervaretur. Quæ enim diſſidia totum Orbem pernicioſiſſimè lacerarent, adeo Pontifex ſuâ compeſcit auctoritate, ut omnes ejus judicio acquieſcant, quod in tanto controverſiarum Judice irreformabile profitentur. Ad hæc appoſitè Irenæus lib. 3. cap. 2. loquebatur. *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt omnes, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Et Cyprianus lib.1.epiſt.3. *Nec enim aliũde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur*. Hinc primis Eccleſiæ ſæculis Romani Pontifices hanc exercuerunt auctoritatem. Petrus actorum

Digitized by Google

rum 8. Simonis Magi hæreſim primus omnium detexit, damnavit, & planè extinxit. Et decebat quidem, ut Irenæus loquitur, lib. 1. cap. 20., & initio lib. 3. ut Petrus, qui Eccleſiæ Princeps & Pater erat, Simonem primus proſcriberet, & ſuperaret, qui Hæreticorum omnium Princeps erat & Pater. Petrus etiam primam in Eccleſia ortam quæſtionem, de Legalium nimirum obſervatione, actorum 15., primus omnium examinavit, atque in primo Concilio decidit, cui ipſemet præſedit, ejuſque decreto fideles omnes acquieverunt.

Poſt Petrum Victor I., Romanus Pontifex, de Paſchæ celebratione controverſiam determinavit, Aſiæque Epiſcopos, qui ſibi aſſentiri renuebant, ſub Quartadecimanorum nomine, Hæreticis adnumeravit. Idem præſtitit cum Novatianis Cornelius, cum Rebaptizantibus Stephanus, cum Arianis Sylveſter, cum Macedonianis Damaſus, cum Pelagianis demum, ut cæteros prætermittamus, Romani Pontifices plures, de quibus Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 50. dixit. *Pelagiana hæreſis cum ſuis Auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta, atque damnata eſt*. Ita ut de his omnibus, cæteriſque, dicere poſſimus, quæ de Petro, cùm nuper recenſita auctoritatis ſuæ ſpecimina exhiberet, ſcripſerunt Patres, præcipuè Chryſoſtomus hom. 3. in Acta Apoſtolorum. *Meritò primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Chriſtus: Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*. Et Hieronymus epiſt. 89. ad S. Auguſtinum. *Tacuit omnis multitudo, & in ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt. Hæc*

non

Digitized by Google

debent eſſe moleſta Lectori, ſed & mihi & illi, utilia, ut probemus, ante Apoſtolum Paulum non ignoraſſe Petrum Principem eſſe hujus decreti, Legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam.

At in Eccleſia Catholica Doctorum ſententias in multis Fidei articulis diſcrepare; aſſeris; integraſque reperiri Sectas, quæ diverſis inſtitutis vivant, ac opinionibus. Non erras hìc, ſed mentiris, cùm nobis audeas opponere in Fidei articulis diſcrepantiam. Nec quidem in uno diſcrepamus, qui unum Deum profitemur, unum baptiſma, & unam Fidem. Porrò non ſolùm articulos Fidei, ſed & dogmata, Catholici Doctores integrè cuſtodiunt, & unanimes credunt. Theologorum verò diſſidia eorundem integritati non obſtare, vel ex eo quivis deprehendet, quòd non in ipſis articulis, vel dogmatibus, diſcrepent, ſed in aliis, quæ ſalvâ Fidei unitate, in utramque partem flecti poſſe demonſtrant. Theologorum noſtrorum diſputandi modum Sanctorum Patrum veſtigiis inniti, eorundemque exemplo probari, cuilibet vel in Patrum Operibus leviter verſato facilè innoteſcet. Sanctum Bernardinum Senenſem, inter poſterioris ævi Theologos inſignem, teſtem producimus; non enim de noſtris exteri debent teſtimonium reddere, ſed Noſtri. Ait igitur tom. 1. ſer. 1. cap. 2. *Penſanda eſt concordia non ſolùm dictorum, ſed etiam operum & geſtorum, Sanctorum omnium & verè Catholicorum, qui in Dei Eccleſia extiterunt ab ipſo Chriſto uſque ad noſtra tempora. Nam in his, quæ Legis, & Fidei noſtræ ſunt, nec in puncto quidem diſcordant; licet in his, quæ per opinionem probabilem currunt, aliquando aliter unus, quàm alter, repperiatur ſentire. Unde per hæc clareſcere poteſt, quòd & poſteriores, & priores, in unum eundemque ſpi-*

ſpiritum congregati, unam conſtituunt Eccleſiam, Sponſam unicam Jeſu Salvatoris, in unam & eandem Fidem, atque in eandem charitatem, ſpiritualiter ordinatam.

Verùm & hoc quoque rancidum eſt commentum, quod nobis poſteriorum temporum Novatores oppoſuerunt. Theodorus Beza epiſt. 1. hæc ſcripſit. *Cujuſmodi tandem in Papatu veræ Eccleſiæ notam invenies? Habent, inquis, perpetui conſenſûs ſpeciem, nec tam multis diſſidiis ſcinduntur: Age; ponamus nullis etiam prorſus diſſidiis ſcindi, quid tum poſtea? Nec enim conſentire ſatis eſt, niſi in veritate conſentias. Alioquin ad Judæos potiùs tranſeundum, qui multo pluribus, quàm Papiſtæ, ſæculis conſenſerunt, & conſentiunt. Nec etiam ubicunque diſſidium eſt, ibi exulat veritas.* Nos autem ab Auguſtino epiſt. 86. didicimus, Scholaſticorum diſſidia non lædere charitatem, multo minus Fidem ſcindere, quippe qui Propheta ait; *omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circum amicta varietatibus.* Ita diverſis illis Theologorum opinionibus, ait S. Doctor, *nullo modo, quod in Fide verum eſt, impeditur. Illæ enim obſervationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veſte intelliguntur. Attamen Hæreticorum diſcordiæ ſunt ab intus, quæ Fidei proinde unitatem ſcindere quàm maximè comperiuntur.*

Sectarum nomine, quas diverſis, aſſeris, vivere inſtitutis, & opinionibus, aut Scholas, ſive Academias, intelligis, quarum diverſæ ut plurimùm ſunt opiniones, aut religioſorum hominum Familias, quarum diſſimilia ſunt etiam vivendi inſtituta. Si de primis loqueris, oſtende, ſi potes in quonam Fidei articulo, vel etiam dogmate, Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis Aſſeclæ, quos Thomiſtas vocant, ac Joannis Duns Scoti ſubtilium Principis Sectatores, quos

Digitized by Google

quos Scotiſtas appellant, compereris diſſentire? Oſtende ſaltem, ſi vel in uno Fidei puncto cum aliarum Scholarum Profeſſoribus cæteri Scholaſtici non conveniant? In iis omnibus, quæ contra Catholicos hæretici homines aſſerunt, mira eſt omnium Theologorum noſtrorum confeſſio, ut illa rejiciant, & iiſdem contraria catholica dogmata tueantur. Nemo noſtrûm, quæ expreſſè jam de fide definita habemus, auſus eſt oppugnare; vel ſi auſus, Catholicorum albo eſt illico expunctus, & cum Hæreticorum grege adnumeratus.

In iis autem, quæ Fidei articulorum, vel dogmatum, non confeſſionem, ſed explicationem, ſpectant, fatemur ultro, noſtro modo diſcrepare; ſed diſcreparunt adhuc primis Eccleſiæ ſæculis Hieronymus, & Auguſtinus, aliique Patres paſſim; at ſemper in illo convenientes, ut Fidei unitas integra apud ipſos, quemadmodum & apud nos, conſervaretur. Hanc opinandi libertatem ſupremus univerſalis Eccleſiæ Magiſter, Pontifex Romanus, nobis adimit, quouſque nullum diſcrimen aut fidei, aut moribus, compererit imminere. Ubi verò effrænis admodum opinandi libido moderationis termine excurrit, ſollicitus ille eſt, paſtoralis muneris debito, ut opiniones parum Fidei aut morum regulis conformes proſcribat; noſque etiam illius decreto, ut par eſt, obſequentes, continuò illas ut abſurdas rejicimus, quas antea ut probabiles tuebamur. Ita profectò Auguſtinus epiſt. 119. in fine teſtatur. *Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra Fidem non approbat, nec tacet, nec facit.*

At ſi loqueris de Regularium Inſtitutorum diverſo vivendi genere, nec diffitemur pariter, multa

 eſſe,

eſſe in quibus Regulares Ordines non conveniunt ; at ſcimus quoque , & multas eſſe vias Domini , & multas in domo Dei reperiri manſiones . Nec quod unus Ordo obſervat , alter damnat ; quinimmo omnibus in religioſæ vitæ ſubſtantia convenientibus , extrinſecùs tantùm illa ſunt , in quibus differre comperiuntur . In multis etiam Eccleſiis , antiquis quoque temporibus , diverſæ traditiones , quæ peculiares erant , obſervabantur , diverſi ritus erant , nec unus in omnibus illis ordo in eccleſiaſtica diſciplina cuſtodiebatur . In Romana Eccleſia ſabbato jejunabant fideles, minimè tamen in Mediolanenſi . Non unam , aut modò , aut tunc , in Miſſæ ordine Lyturgiam Præsbyteri uſurpabant . His tamen variis , aut ritibus , aut conſuetudinibus , aut etiam in diſciplina traditionibus , ea , quæ Fidem ſpectabant , integrè apud omnes Eccleſias uniformia erant , omneſque Fideles unanimes cuſtodiebant . Hinc Auguſtinus epiſt. 118., & pro illorum, & pro noſtrorum quoque temporum moribus variis , Januario ſcribebat . *Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia , in quam venit , invenerit , dum nec quicquam eorum contra Fidem ſit , aut contra mores .*

Quid verò de Heterodoxis dicemus ? Heterodoxi ipſi fateantur . Gregorius Major in Oratione de confuſionibus Dogmatum veteribus ac recentibus in Eccleſia excitatis ab hominibus fanaticis , hæc liberè aſſerit . *Objiciunt nobis Papiſtæ ſcandala , & diſſenſiones . Ingenuè fateor , ejuſmodi talia eſſe , ut ſatis defleri nequeant . Fateor quoque ſimplicia corda & pectora propterea ita moveri , tentari , & moleſtari , ut omnino dubitent , ubinam locorum in profundo demerſa veritas invenienda ſit . An etiam vera Dei Eccleſia uſpiam adhuc ſuperſit , quæ ab aliis infidelibus Populis diſtincta ſit .*

Joan-

Joannes Petræus, Lutheri aſſecla, in admonitione, quâ vult, vitandos eſſe Flavianos, ſcribit ingenuè. *Quanquam a Noſtris facta eſt ſæpè numero declaratio, quomodo hujuſmodi ſententia intelligenda ſit, cum tali proteſtatione, quòd eâ in poſterum nollemus uti: Nihil tamen illud profuit, ſed, quo plus noſtri reſponderunt, ſuamque ſententiam interpretati ſunt, eo plus adverſæ partis aſſeclæ pugnarunt, & inſtiterunt, & quemadmodum in Religionis negotio fieri conſuevit, relati ſunt, etiamſi perſæpè ſine judicio. Idem in hoc negotio accidit. Dixerunt enim nos Religionis quandam immutationem, & falſa dogmata, introducturos eſſe. Propterea ſe multis illis adjunxerunt, non ſolum ex imperita plebe, ſed etiam ex ſimplicibus Sacerdotibus plurimi. Sicque in Eccleſia noſtra ſchiſmata & diſsentiones non exiguæ ortæ ſunt, adeout etiam Saxoniæ Elector tali negotio ſe immiſcuerit. . . . Vero verius eſt, quòd eadem de cauſa turbatæ, & in mutuas contentiones excitatæ ſunt ferè omnes Eccleſiæ in Saxonia, Miſnia, & Thuringia, quæ ad unum omnes ab initio ſumma charitate interſe unitæ erant.* Philippus tandem Melanchthon, & ipſe inter Lutheri diſcipulos nemini ſecundus, ita de Illyrico, & Nicolao Gallo, Lutheranis itidem, in Præfatione corpori doctrinæ chriſtianæ præfixa, queritur. *Cum iſto mirabili hominum genere agi nihil poteſt, qui ſuo arbitrio damnant quodlibet, neque perſonis auditis, neque rebus diſjudicatis. Cogunt Concilia quando, & ubi ipſis placet, & vendicant ſibi majorem, magiſque intolerabilem, ac minus excuſabilem auctoritatem, ac poteſtatem, quàm Papa Romanus unquam.*

Quot alia poſſemus tibi teſtimonia producere, ab Hæreticis etiam petita, ut inter eoſdem ortas, ac enutritas, innumerabiles pene diſſenſiones, in Fidei

quo-

Digitized by Google

quoque dogmatibus, advertas? Sed ab aliis ulteriùs recenſendis ſuperſedemus, contenti dumtaxat Irenæi verba, de ſuorum temporum Hæreticis dicta, ſed Conſectariis tuis apprime convenientia, recitare. Lib. I. cap. 5. hæc habet. *Videamus nunc & eorum inconſtantem ſententiam, cum ſint duo, vel tres, quemadmodum de iiſdem non eadem dicunt, ſed & nominibus & rebus contraria reſpondent.* Et cap. 18. *Quum autem diſcrepant ad invicem, & doctrinâ, & traditione, & qui recentiores eorum agnoſcuntur, affectant per ſingulos dies novum aliquid adinvenire, & fructificare quod nunquam quiſquam excogitavit. Durum eſt omnium deſcribere ſententias.* Non hæc profectò eſt Eccleſiæ unitas, quæ ita ab Heterodoxis exulat, ut plerunque inter illos tot diverſæ ſint ſectæ, quot hominum ſunt capita; cùm quiſque pro libito Religionem ſibi componat, & in Religionis negocio arbiter ſibi eſſe velit, & Judex.

In eadem quippe domo, ex iis etiam, qui ſub eadem Lutheri ſecta militant, Uxor fortaſſis ex Illyrici partibus ſtabit, atque adeo contra illos pugnans, qui Majoriſtæ, Adiaphoriſtæ, Synergiſtæ dicuntur. Vir ubiquiſta pugnabit fortè pro Brentio; Filius Synergiſta Melanchthonem ſectabitur; Filia Majoriſta Georgio adhærebit. Diverſitatum autem capita, quibus, non in ſchola, ut apud nos, ſed in Fide, pugna incaleſcit, hæc ſunt. Servum credere & defendere arbitrium, & inevitabilem Stoicam neceſſitatem; quod facit Illyricus, impugnant verò Majoriſtæ, Adiaphoriſtæ, Synergiſtæ. Humanam Chriſti naturam ubique eſſe contendit Brentius; ſed eidem Lutherani cæteri adverſantur. Opera ad ſalutem pernicioſa eſſe Amodofrius defendit, at Majoriſtæ opponuntur.

Quis

Digitized by Google

Quis autem noſtrûm in his Fidei dogmatibus cum univerſalis Eccleſiæ capite non conſentit? Thomiſtarum, Scotiſtarum, Nominalium, Bacconiſtarum, Ægydianorum, Suariſtarum, Magnaniſtarum, aliorumque Scholaſticorum cathedras excurre; invenies ne in ipſis hujus generis diſſidia? Minimè gentium. Habemus nos Controverſiarum Judicem, a quo unitas ſarta tecta in Eccleſia ſervatur, & in Fidè uniformitas. Vobis autem Libertas quot capita, tot ſectas parit; inde inter vos diſſenſiones crebræ, antilogiæ ordinariæ, hæreſes continuò pullulantes, ut veſtra nullatenus ſit Eccleſia, ſed potiùs Sathanæ Sinagoga, in qua verò nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Graviſſimum times Eccleſiæ diſcrimen impendere ex unius potentia, qui controverſias cunctas non ſacræ Scripturæ auctoritate; ſed ex ſuo uſu, ac arbitrio, decidit. Judicem, & Legem, in quavis benè ordinata Hierarchia neceſſarios eſſe, nullus ſanæ mentis homo contendet; ſiquidem Judex Lex viva eſt, quæ Legem mortuam interpretatur. Cûm enim lex nequeat ſeipſam interpretari, & de legis intelligentia plerunque diſſidia emergant, hinc eſt, quod præter legem in Republica conſtituendus eſt etiam Judex. Non diverſimode in Eccleſia factum eſſe ſentimus, atque defendimus; ita ſcilicet, ut in ea ſacra Scriptura ſit lex, Judex verò univerſalis Eccleſiæ Magiſter & Doctor, Romanus Pontifex. Vincentium Lyrinenſem, hæc in ſuo Commonitorio loquentem, accipe. *Hic forſitan requirat aliquis, cum ſit perfectus Scripturarum Canon, quid opus eſt, ut ei eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu omnes accipiunt,*

Digitized by Google

cipiant, ſed eadem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Atque icciro multum neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur. Igitur & ſacram Scripturam Controverſiarum normam eſſe, & Romanum quoque Pontificem, profitemur; ita tamen ut Scriptura ſit lex, Pontifex verò ſit Judex, qui ſecundùm legem, non contra, definiat, declaret, atque decidat.

Verùm ubinam tu, tuique ſimiles, Pontificem ex ſuo uſu & arbitrio Fidei controverſias decidiſſe compererunt? Quando ex cathedra loquitur Pontifex, nimirum ut univerſalis Eccleſiæ Magiſter Eccleſiam docet, & in rebus fidei, & morum definit, non privatus homo eſt, qui loquitur, ſed Spiritus Sanctus, qui eſt in ore ejus, ut ſupremi Doctoris voce Fideles omnes inſtituat. Rogavit nanque Dominus pro Petro & Succeſſoribus ejus, ut ſua, Succeſſorumque Fides deficeret nunquam; quamobrem Petrus, Actorum 15., primam faciens in Eccleſia definitionem, inquit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis.* Ut verò Pontifices maturiùs in re tanti momenti procedant, antequam ad definitiones deveniant, Theologicæ facultatis Conſultis Viris Controverſias diſcutiendas tradunt, Conſultationes plures præmittunt, publicas privataſque precationes Deo fieri mandant; ut videas, quàm ineptè ac temere dixeris, Pontifices ex ſuo uſu & arbitrio ſuo Controverſias definire. Etſi enim hæc ad infallibilitatem definiendorum minimè ſint neceſſaria, quàm ex ſola Spiritus Sancti aſſiſtentia, quæ Pontifici ex cathedra loquenti, & materias fidei & morum definien-

Digitized by Google

finienti. nunquam deficit, planè infallibilia ejus judicia reddantur: præmittuntur tamen, ut humano modo res fiat, & non inconſultò, ac temere, in tanto negocio judicium ferri videatur. Talis inſuper tantaque eſt definitionum Pontificum cum Divina Scriptura convenientia, ut nemo ex Heterodoxis uſque modò potuerit vel oppoſitionis ſpeciem verè inter illas oſtendere, quamvis non paucas fingant, ut ſibi in errore ſuo liberiùs blandiantur.

Vitio etiam Pontificibus vertis, quòd ſe ſe ſupra Concilia geſſerint, & libertate dijudicandi Conciliis ademtâ, cuncta ad ſuam libidinem retulerint. Potiores profectò partes, quas nos Pontificibus in Oecumenicis etiam Conciliis aſſerimus, ipſamet Concilia fatentur; & ne illorum nos aggravet multitudo, quatuor tantùm priora generalia ſeligimus, quibus aſſentationis vitium opponet nemo. Nicænum I. in epiſtola ſynodica ad Sylveſtrum, cui & Concilii acta transmittebantur, inquit. *Quoniam omnia corroborata de divinis myſteriis eccleſiaſticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent S. Eccleſiæ catholicæ explanata, & de græco redacta ſcribere confitemur; nunc itaque cenſeat veſtra apoſtolica doctrina, Epiſcopos totius veſtræ apoſtolicæ urbis in unum convenire, veſtrumque habere Concilium, ut firmetur noſtra ſanctimonia, graduſque fixos vel textus ordinationis tuæ Sanctimoniæ noſtra poſſit habere regula. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur.* Ut quid Nicæni Patres a ſe ſtatutorum cõfirmationem a Romano Pontifice petunt, & non potiùs Pontifici præcipiunt, ut ſuis definitionibus obtemperet, ſi Concilia ſupra Pontifices & non Pontifices ſupra Concilia agnoſcunt? Cur Sylveſtri judicium expectant, ſi tota dijudicandi poteſtas ad

Concilium ſpectabat? Non ergo Pontifices dijudicandi libertatem Conciliis ademerunt, ſed ſubjectionis ratio fuit, quam Deus in tota Eccleſia erga ejuſdem Eccleſiæ caput conſtituit, ut Concilia ipſa ſuam dijudicandi poteſtatem Pontificum judicio ſubordinarent.

Concilium Conſtantinopolitanum I. in fine operis hæc hominum memoriæ mandavit. *Damaſus ad examinanda Synodi Conſtantinopolitanæ acta pro Eccleſiæ Romanæ more & auctoritate, Romæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales vocati Legatos cum purgatione miſerunt. Id ſequenti anno frequentiſſimum celebratum eſt, Concilium Conſtantinopolitanum confirmatum, & omnes hæreſes condemnatæ.* Mos dicitur, & Romanæ Sedis auctoritas, ut Concilia examinet, & examinata confirmet. Concilium Epheſinum a Cœleſtino Pontifice formam præſcriptam habuit, juxta quam judicaret, ſicut ipſe antea judicaverat. In hoc eodem Concilio dictus eſt Pontifex caput, non particularium Eccleſiarum, ſed totius univerſalis Eccleſiæ. *Quod Sanctis ſuis vocibus, piiſque præconiis, ſancta Eccleſiæ membra ſancto ſuo capiti exhibuerant.* Gennadius verò de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 54. teſtatur; Cœleſtinum Papam decreta Synodi adversùs Neſtorium dictaſſe, volumenque deſcriptum ad Orientis & Occidentis Eccleſias dediſſe. Denique Chalcedonenſe Concilium actione I. II. & III. Leonem, Pontificem Romanum, vocat Eccleſiæ univerſalis Pontificem, caput univerſalis Eccleſiæ, univerſæ vineæ cuſtodem. Et actione XVI. ita ad Leonem ſcribunt Patres. *Rogamus igitur & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis, quod decet adimpleat.*

Pon-

Digitized by Google

Pontifices ne ergo ſupra Concilia ſeſe erexerunt, an potiùs eos, jam a Chriſto ſupra Concilia erectos, ipſamet Concilia venerata ſunt? Quo pacto libertas demta Conciliis, ſi ſine Pontificum dependentia, haud quidem Concilia, ſed potiùs Conciliabula dicenda ſunt? Expenderemus adhuc poſteriorum decreta Conciliorum, ſi tu in medium eadem afferre ſtuduiſſes. At cùm illa volueris generatim tantùm indicare, generatim quoque tibi occurriſſe, contenti ſumus. Nimirum nec quicquam illis in Conciliis eſſe, quod unquam a te, tuiſque, poſſit divino verbo contrarium probari, nec aliquid in eiſdem deprehendi, qnod Catholicæ Eccleſiæ decus poſſit quoquo modo imminuere. Quas demum ſaniores ſententias vis Pontificum ſuppreſſerit, invitis etiam & diſſentientibus Eccleſiarum Doctoribus, innuis ſanè, ſed non exponis. Eæ fuerunt fortaſſis, quæ in Conſectariis tuis jampridem damnatæ ſunt? Magnam profectò provinciam ſubire oporteret, ſi in animo nobis eſſet & in hoc quoque nugas tuas refellere. At quia nugæ ſunt, ridemus potius eas; vel eo magis irridendas, quòd ſaniores ſententias appellaveris. Si diſtinctè eas explicaſſes, aut potiùs attuliſſes, vel ex hoc tantùm refutatæ haberentur. Eas enim referre confutare eſt. Verùm pudori tuo credimus te conſulere voluiſſe, ut cùm ſatyram potiùs, quàm diſputationem, contra noſtra compoſueris, tua poſtmodum ſilentio defendere, quàm elogio, elegeris; contentus tantùm ſaniores ſententias, dixiſſe, injuſtè a Pontificibus ſuppreſſas, & ſanctorum Eccleſiæ Doctorum præſidio munitas,

§. XVII.

EPISTOLA.

CONtra ſi Hæreticorum Eccleſias reſpiciamus, non minor inter illas eſt concordia, quæ uni ſectæ ad-
„ dictæ, ſub regimine vivunt civili. Neque enim ra-
„ tio ſubeſt, quare Controverſiæ, ſi quæ orirentur,
„ non æquè a Principe, qui in ſuo regno caput eſt Ec-
„ cleſiæ, tolli poſſint & ſopiri, ac a Pontifice Roma-
„ no. Talem verò Principem intelligo, qui ipſe eſt
„ chriſtianæ doctrinæ addictus, & Miniſtros habet
„ pios, doctoſque, quibus hoc negotium demandare
„ poſſit. Quare enim, Concilio Theologorum con-
„ vocato, cui Princeps ipſe, aut Epiſcopus præfuerit,
„ non rectè ſalus Eccleſiarum committenda ſit? Et
„ cur dubitemus, Spiritum Sanctum, cùm invocetur,
„ non æquè illis adfuturum, ac Conſiſtorio Romano,
„ cui Pontifex præſidebit? Non enim novimus, Spi-
„ ritum Sanctum, privilegio quodam, ſe Curiæ man-
„ cipaſſe Romanæ. Quid multis opus eſt? Experien-
„ tia teſtatur, non decorum minus in Eccleſiis Hæ-
„ reticorum obſervari ordinem, quàm in noſtris, con-
„ troverſiaſque, quæ ſubnaſcuntur, interpoſitâ Prin-
„ cipum auctoritate, faciliùs longè, minori motu,
„ ac diſcrimine, aboleri. Quanquam ſignum veræ
„ Eccleſiæ non eſt, quòd careat controverſiis, cùm
„ juxta Apoſtoli effatum, hæ quodammodo neceſſa-
„ riæ ſint, ut probi ac fideles manifeſtentur.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

ITerum cogis nos Conventiculorum veſtrorum diſſidia recitare, Hereticorum hominum characterem non concordiam eſſe, ſed potiùs diviſionem, vel a Luthero tuo manifeſtatur, ad pſal. 5. *Sic enim regnum in ſeipſum diviſum deſolatur. Neque enim ulli unquam hæretici victi ſunt vi aut aſtu, ſed mutuâ diſſenſione, nec aliter cum eis pugnat Chriſtus, quàm mixto inter eos ſpiritu vertiginis & diſſenſionis, ſicut inter Sichimitas, Jud. cum 9., inter Babylonicæ Turris operarios; & in novo teſtamento inter Arianos, Donatiſtas, Pelagianos. Sed & Judæi noviſſimâ vaſtitate perierunt diſſenſione; itaut Hilarius, ſanctus vir, glorietur, in libro de Trinitate, bellum Hæreticorum eſſe pacem Eccleſiæ.* Ulteriora habet ad cap. 5. Epiſtolæ ad Galatas. *Semel violatâ Eccleſiæ concordiâ, non eſt modus, neque finis diſſenſionum. Noſtro tempore primùm defecerunt a nobis Sacramentarii, poſt Anabaptiſtæ. Horum neutri inter ſe concordes ſunt. Ita ſemper ſecta parit ſectas, & una damnat aliam. Ceſſante unitate, ſecundùm Mathematicos, progreditur numerus in infinitum. Sic læsâ & ablatâ unitate ſpiritûs, neque in doctrina, neque in moribus poſſibile eſt, manere concordiam, ſed ſubinde novi errores naſcuntur uſque in infinitum.*

Beza inſuper audiatur, qui de Proteſtantium diſcordia in omnibus, quæ Religionem ſpectant, in Epiſtolæ Theologicæ capite primo ad Andręam Dudithium ita locutus eſt. *In quo tandem Religionis capite congruunt inter ſe Eccleſiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem ſi percurras omnia, nihil propemodum reperies ab uno aſſirmari, quod alter*

ſta-

ſtatim non impium eſſe clamitet. Cùm igitur tot tantiſque diviſionibus Hæreticorum Sectæ divexentur, incongruè ſanè ipſorum Synagogas Eccleſiarum vocabulo exornaſti. Ita enim verè addicta Eccleſiæ unitas eſt, ut ſi una non erit, Eccleſia nec eſſe poterit. Hinc Heidelbergenſes Theologi in Protocollo Frankentalemſi, in præfatione ad Anabaptiſtas, exclamabant. *Si vobis Eccleſiæ titulum ac nomen concedere vellemus, quænam inter vos Secta pro Eccleſia Dei habenda eſſet, cùm in tam multas Sectas diviſi ſitis? Nam vos Eccleſiam dici non ferent Hutitæ, qui vos tanquam minimè Chriſtianos a communione ſua per excomunicationem excludunt. Multo minus id ferent Mennoſiſtæ, quorum nonnulli (nam & ii variè diviſi ſunt) etiam eos rebaptizant, qui a vobis baptizati ſunt. Quòd ſi Hutitas Eccleſiam appellare placeat, id neque vos, neque Mennoſiſtæ ferendum putabunt. Similiter neque vos tolerabitis, neque Hutitæ, ut Mennoſiſtis Eccleſiæ nomen concedatur*.

Videſis quàm injuſtè Hæretici Eccleſiæ titulo glorientur, & quàm tu ipſe irrationabiliter illorum Synagogas Eccleſiæ nomine decoraveris. Neque ipſimet Anabaptiſtæ patiuntur, ut quibuſdam ſuæ Sectæ addictis, ſed qui ab aliis ejuſdem Sectæ diviſi ſunt, Eccleſiæ nomen concedatur. Quod ſanè argumentum nobis eſt, iiſdem quoque manifeſtum eſſe, non poſſe plures eſſe Eccleſias, cùm Eccleſia una ſit; nec poſſe Eccleſiam verè dici illam, in qua veritas non dominatur, ſed error. Verùm tu Hæreticis ipſis in Eccleſiæ titulo conferendo liberalior quidem, non ſolùm tribuis immerenti, ſed & pluribus quoque immerentibus; ut videaris, Eccleſiam te velle potiùs deſtruere, quando multiplicas; ejuſque nomen non tantùm velle injuſtitiâ, verùm quoque diviſione, falſifica-

Digitized by Google

ſificare. Hilarii verba, lib.7. de Trinitate, non abs re erit audire. *Cùm a Domino Eccleſia inſtituta, & ab Apoſtolis confirmata, una omnium ſit, ex qua ſe diverſarum impietatum furens error abſciderit; nec negari poſſit, ex vitio malæ intelligentiæ Fidei extitiſſe diſſidium, dum quod legitur ſenſui potiùs coaptatur, quàm lectioni ſenſus obtemperet: Tamen dum ſibi partes ſingulæ adverſantur, non ſolùm ſuis, ſed etiam adverſantium eſt intelligenda doctrinis, ut dum adversùs unam eam omnes ſunt, impiiſſimum tamen errorem omnium per id, quod ſola eſt, atque una, confutet. Hæretici igitur omnes contra Eccleſiam veniunt; ſed dum Hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. Victoria enim eorum Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera Eccleſiæ Fides damnat. Nihil enim, quod Hæreticis commune eſt, & inter hæc Fidem noſtram, dum ſibi adverſantur, affirmant.* Quia ergo ab Hęreticorum Synagogis concordia omnis arcetur, quòd ipſimet fatentur Hæretici, iiſdem omnis Eccleſiæ denominatio deneganda eſt.

Sæculi Principes exinde imploras, ut ipſi in regnis ſuis tanquam Eccleſiæ capita controverſias judicent, ſi quas in fide contingat oriri. Excellens quidem Henrici VIII., Angliæ Regis, at turpiſſimus aſſentator! Ille primus in Anglicana Eccleſia ſe caput conſtituit, ſuâque ſolâ, non Chriſti auctoritate, declaravit. Noſtris verò temporibus falleris, ſi habere cogitas Principes Henrici imitatores, qui in ſuis Provinciis ſuarum Eccleſiarum ſeſe capita conſtituentes, pronis auribus Epiſtolam tuam accipiant, tibique liberaliter, pro ſeipſis ſcribenti, ſuam quoque faciant gratitudinem experiri. Sed quorſum hæc? Audi Conſectarium tuum Edvinum Sandes, in Relatione ſtatûs Reli-

Digitized by Google

Religionis §. 45. & 82. *Romani pro communi parente, admonitore, & duce, habent Pontificem ad lites dirimendas, ad controverſias ſopiendas, ad Religionem ſuam, Conciliorum conſenſu, uniformiter temperandam &c. E contra verò Proteſtantes ſunt veluti factiones diſperſæ, & balantes greges, trahentes ſinguli animos diverſos, ſine omni ad jurgia componenda, ad repugnantias tollendas, ad animos conciliandos, præſidio. Nullus eſt Princeps ſupra reliquos, juriſdictionis prærogativa præeminens. Nullus Patriarcha, ne unus quidem cum Superioris poteſtate aut cura ad Eccleſiarum disjunctarum conſenſionem conciliandam. Nulla ad Synodos indicendas, quæ unica ſpes concordiæ ineundæ, & quas optimi quique obnixè ſuſpirant, ratio ſupereſt.*

Sed age jam; ſat tibi eſt a Principibus plauſus exigere, ſi Principes erunt, qui flammis nolint tua ſcripta purgare; parum autem vel nihil ducis, quòd Principibus placens, Scripturæ, Patribus, & Conciliis adverſeris. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*; regius Pſaltes cecinit pſalm. 44. Hieronymus verò in eodem loco expoſuit. *Fuerunt o Eccleſia Apoſtoli Patres tui, quia ipſi te genuerunt; nunc autem quia illi receſſerunt a mundo, habes pro his Epiſcopos filios*. Et infra. *Principes Eccleſiæ, ideſt Epiſcopi conſtituti ſunt*. Ambroſius Valentiniano dicere non timuit, quod ipſemet narrat in epiſt. 33. ad Sororem ſuam. *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, aliquod imperiale jus habere. Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum*. Et Theodoſio Imperatori. *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*. Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, paſtorali libertate Conſtantio Imperatori dixit, quæ S. Athanaſius in epiſt. ad ſoli-

Digitized by Google

ſolitariam vitam agentes refert. *Nec præcipuè nobis in hoc genere, ſed ea potiùs a nobis diſce. Tibi enim Deus imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.*

A ſæculo non eſſe auditum, exclamabat Athanaſius in epiſtola prælaudata, ſæculi Principes in Conciliis ſibi decidendi poteſtatem uſurpaſſe; quòd Conſtantius, ut injuſtè, temere quoque tentaverat. *Quando a condito ævo auditum eſt, quòd judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando unquam hoc pro judicio agnitum eſt? Plurimæ antea Synodi fuere, multa judicia Eccleſiæ habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Sed a te propiùs vellemus diſcere, quo nomine Principes in Eccleſia cohoneſtes? Paſtores ne vocabis, an agnos? Si Paſtores? Indica quis illis poteſtatem tradidit, ut agnos paſcerent? Igitur Dei Eccleſia quatuor ferè ſæculorum ſpatio, quo Romani Imperatores idola venerabantur, Paſtoribus caruit? Et Deus permiſit Eccleſiam ſuam adhuc ab exordio ſine capite eſſe, & non tam incepiſſe, quàm periiſſe? En quot abſurda cogeris devorare, dum Principes conſtitutos a Deo in Eccleſia Paſtores appellas. At ſi dixeris agnos? Nazianzenus in oratione, quâ ſe excuſat, quòd diu ab eccleſiaſticis functionibus abſtinuerit, ſtatim occurret tibi. *Vos oves nolite paſcere Paſtores, neque ſuper terminos eorum elevamini. Satis enim eſt vobis ſi rectè paſcimini. Nolite judicare Judices, nec legem feratis Legiſlatoribus.* Et infra expreſſiùs Imperatores alloquens. *Num vocem ſuſcipitis liberam? Et quòd lex Chriſti vos meæ poteſtati, meoque ſubjecit tribunali? Imperamus enim & ipſi; addo, &* per-

perfectiori. Suſcipe igitur vocem liberiorem. Scito, te ovem eſſe gregis mei.

Verum ut quid tu Principibus tribuis, quæ Principes ipſi, te quidem religioſiores, ſibi arrogare non audent? Quam Principes poteſtatem ſibi non competere ultro fatentur, tu, aſſentatoris partes agens, ipſis nolentibus conaris aſciſcere? Vetera monumenta percurre, & primus inter chriſtianos Imperatores obviam tibi veniet Conſtantinus, qui pro Arii hæreſi damnanda Concilium Epiſcoporum a Romano Pontifice convocari rogavit. Concilio jam coadunato aſtitit ipſe, ſed non præſedit; cùm non prius aſſederit, Euſebio referente in lib. 3. vitæ ipſius, quàm annuiſſent Epiſcopi, ut ſederet. Concilii demum decreta humili promtoque animo venerabundos recepit, eaque voluit omnes, qui ſub Chriſto militarent, humillimè recepturos. *Quæ cùm ita ſe habeant*, refert etiam Euſebius laudato loco, *libentibus animis hoc decretum Concilii, tanquam donum Dei, & mandatum re verà cælitus demiſſum, amplectimini. Nam quicquid in ſanctis Epiſcoporum Conciliis decernitur, id univerſim divinæ voluntati debet attribui.* Theodoſius junior, epiſtolam ad Synodum Epheſinam ſcribens, hæc fatetur ingenuè. *Deputatus eſt Candianus, magnificus Comes ſtrenuorum Domeſticorum, tranſire uſque ad ſanctiſſimam veſtram Synodum, ac in nullo quidem quæ facienda ſunt de piis dogmatibus quæſtiones communicare. Illicitum nanque eſt, eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Occurret denique, ut multos alios omittamus, Valentinianus ſenior, qui, Sozomeno teſte lib. 6. hiſtor. c. 7. a quibuſdam rogatus, ut Synodum convocari faceret, ad decernendum de aliquibus Fidei dogmatibus, ſincerè

cerè faſſus eſt. *Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt talia curioſiùs perſcrutari. Sacerdotes, quibus iſta cura eſt, inter ſe ipſos, quocunque voluerint loco, conveniant.*

Attamen ſit Princeps, ut ais, chriſtianæ doctrinę addictus, Miniſtros habens doctos & pios, quibus Religionis negocium examinandum, definiendumque, demandet: Vel Theologorum Concilium convocet, cui vel ipſe Princeps, vel Epiſcopus, præſidens, Eccleſiarum ſuarum ſalutem committat. Iſtis ſanè Spiritus Sanctus aſſiſtet ne? Maximè, reſpondes. Non enim Spiritus Sanctus privilegio quodam Curiæ Romanæ tantùm ſe mancipavit. Igitur Spiritus Sanctus, te Judice, aliis etiam Curiis in Fidei controverſiis decidendis aſſiſtet. Verùm quonam evenit pacto, ut unum in una Curia decidatur, aliud in altera, quod ſit illi omni ex parte contrarium? Aut unum, aut alterum, ex illis poterit verum eſſe, non autem ambo ſimul; cùm duo contraria ſimul vera eſſe nequeant. Spiritus Sanctus ergo in una Curia erit Spiritus veritatis, in altera erit Spiritus mendacii? Quòd ſi hoc non futurum aſſeris, experientia nos docet, in Curiis illis, quæ ſibi decidendi poteſtatem in rebus Fidei arrogant, non eadem omnino credi. Cur ergo Spiritus Sanctus uni Curiæ veritatem, non verò alteri ſpirat? Vel cur uni Curiæ aſſiſtit, ut verum definiatur, alteri verò minimè, unde falſum deciditur? Non enim Spiritus Sanctus, ut aſſeris, uni tantùm, aut alteri Curiæ, ſe mancipavit.

Quot quantaque abſurda ex tuis malè poſitis propoſitionibus inferuntur! Recole, & horre. Spiritum Sanctum ſpirare errorem; non eſſe quandoque Spiritum veritatis, ſed mendacii; veritatem ut plurimùm non revelare. Hæc ſanè cogeris admittere, cùm velis

 Spi-

Spiritum Sanctum non uni, ſed multis Curiis, mancipare. Quàm autem hæc ſint impia, ſint falſa, ſint chriſtianis auribus indigna, nemo Chriſtianus non facilè judicabit. Ut fatearis igitur oportet, non in pluribus locis, ſed in uno tantùm, Spiritum Sanctum aſſiſtere, ad res Fidei determinandas, ut unitas hoc pacto ſervetur, in qua maximè poſita eſt veritas. Una enim eſt veritas, ac proinde diviſionem non patitur. Si ergo Spiritus Sanctus in una Curia veritatem decidit, ad quid eam ulteriùs in altera examinare? Si illam corrigere in animo eſt; igitur veritas non fuit. Si veritatem fuiſſe, aſſeritur; ergo in altera intenditur aſſequi ſolummodo falſitatem.

Unum proinde Fidei tribunal eſſe debet; vel ſi plura, omnia tamen ad unum illud ſubordinata, cui indefectibile judicium Spiritus Sanctus ſuâ promiſit aſſiſtentiâ, conſervat modò, conſervabitque uſque ad mundi durationem. Si igitur unum, quodnam ſit illud oportet ut videamus. Pro illo Pontificis Romani multa in Scripturis invenimus, multa Conciliis, multa in Patribus, quæ pro ſæcularium Principum Curiis nec tu unquam potuiſti, nec tui ſimiles potuerunt ullo tempore oſtendere. Audias ex Sectariorum grege Schluſelburgium, in cathalogo Hæreticorum lib.13. *Quis enim noſtrûm ſibi arrogabit, ut locum habendo Concilio conſtituat, diem dicat, variarum nationum Theologos evocet? Et quis in ipſa Synodo præſidebit? Porrò quis Judex erit inter litigantes? Attamen Chriſtus Lucæ 22. Petro dixit: Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus, confirma Fratres tuos. Sathanæ inſultationem communem omnibus Fratribus fuiſſe Chriſtus verbis illis oſten-*

Digitized by Google

oſtendit: Expetivit vos. Aſſiſtentiæ privilegium ſoli Petro peculiare futurum ſequentibus verbis manifeſtat: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua. Cæteris Fratribus ſolùm Petri judicium ſat eſſe, ut obſequendo credant quæ Petrus definierit, verba poſteriora demonſtrant: Et tu aliquando converſus, confirma Fratres tuos. Soli Petro nullum hominem aſſiſtere, ut infallibilis in judicando reddatur, ſed ſolum Deum, illa verba declarant: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua.

Quemadmodum igitur verba iſta Petri infallibilitatem oſtendunt, ita & verba, quibus Petro mandatur, ut alios confirmet, in aliis præter Romanos Pontifices, Petri ſucceſſores, infallibilitatem non eſſe demonſtrant. Ut quid enim Petrum, vel ejus ſucceſſores, confirmare habent illos, quibus etiam Spiritus Sanctus aſſiſtet? Vel ut quid Petrum ab aliis emendicare quod ſibi Spiritus Sanctus pleniſſimè pollicetur, & præſtat? Ita profectò S. Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium Pontificem ſcribebat. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de Fide contingunt. Dignum nanque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna Fidei, ubi non poſſit Fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua? Ergo quod ſequitur, a Petri ſucceſſore exigitur. Et tu aliquando converſus, confirmá Fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium. Tempus eſt, ut veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & ſedem; Si veſtrâ admonitione corda in Fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtrâ*

ſtrâ auctoritate conteritis Fidei corruptores.

Inania autem ſunt, quæ contra aperiſſimum Evangelii textum tu, tuique ſimiles, opponitis. Scilicet vel Chriſti promiſſionem Petro factam, principaliter ad Eccleſiam, a generali Concilio repreſentatam, dirigi; vel Petro factam quidem, non tamen ad Succeſſores ejus dilatandam; vel Petro in Succeſſoribus etiam factam, ſed poſt Eccleſiæ acceptationem effectum ſuum habituram. Etenim, ut a primo incipiamus, ſi Chriſtus Eccleſiam in Petro intellexiſſet, non pro te, ſed pro vobis, dixiſſet ſe rogaſſe. Nec ulteriùs præcepiſſet Petro, ut Fratres confirmaret, cùm jam in Petro Fratres comprehenderentur, quapropter idem fuiſſet ac dicere, ut Eccleſia ad Eccleſiam converſa ſeipſam confirmaret. Si pro Fratribus, ais, non omnes generatim accipiendos eſſe, ſed peculiariter unumquenque; mirum profectò nobis eſt, quód ita Evangelii verba nitaris invertere, ut quæ Chriſtus pro uno dixit, tu pro cunctis accipias; quæ autem dixit pro omnibus, pro ſingulis intelligenda velis Petro etiam, & Succeſſoribus ejus, promiſſionem factam fuiſſe, ultra quod Patres ita promiſſionem illam unanimes interpretantur, facit quoque, quòd ſi conceſſum privilegium illud Petro fuit, magis modò conſervandum videtur Succeſſoribus Petri; quia ſi tunc Eccleſiæ viſum eſt neceſſarium, potiori ratione ſequentibus ſæculis neceſſarium videbatur; quando nimirum hæreſes, & ſchiſmata, contra Eccleſiam inſurgere, & ſæpiùs, & fortiùs, debebant. Cæterum privilegia Petro conceſſa ad Succeſſores adhuc extendi, iterum modò probare, ſuperfluum nobis eſt; cùm ſuperiùs idem abundè præſtiterimus.

At Eccleſiæ acceptationem requiris, ut a Chriſto pro-

Digitized by Google

promiſſio infallibilitatis Petro facta effectum ſuum ſortiatur. Profectò nec Chriſti verbis probabis hoc unquam, nec Patrum teſtimonio ſuadebis. Non enim Chriſtus dixit, ut Eccleſia confirmaret Petrum, ſed ut Petrus confirmaret Eccleſiam: Ut quid ergo Petrus exiget confirmationem ab iis, quos ipſe habet confirmare? Sanè vel Eccleſia in ſua acceptatione falli poteſt, vel non poteſt? Si non poteſt? Ergo Chriſtus non pro Petro rogavit, ne in docendo falleret, ſed pro Eccleſia, ne in acceptando falleretur. Si poteſt? Ad quid fallibilem acceptationem exigere, ut fallibilis deciſio confirmetur? Cui enim Spiritus Sanctus aſſiſteret, ſi Eccleſiæ in acceptando non aſſiſteret, quia falli poteſt? Aut nemini, aut Petro. Nemini aſſiſtere nemo dicet, quia aliter Eccleſiam derelictam à Deo fuiſſe concedere cogeretur. Si ergo Petro; Petrus, cùm ſe ipſo infallibilis ſit, fruſtra a fallibili Eccleſiæ acceptatione confirmationis robur in decretis ſuis exquiret.

Porrò quid amplius Romanus Pontifex haberet, ſi ejus judicium in fidei aut morum rebus firmandis, poſt Eccleſiæ tantùm acceptationem irreformabile eſſet, quod non haberet quoque Epiſcopus quilibet, immo quilibet privatus etiam Doctor? Utique ſi Eccleſia aut Epiſcopi, aut privati Doctoris, ſententiam amplectatur, ſententia illa certa omnibus ſtabit, & Eccleſiæ acceptatione præmiſsâ, negari a nemine poterit. Hæc autem certitudo non erit Epiſcopi, vel Doctoris privilegium, ſed Eccleſiæ acceptantis prærogativa. Concilia tamen docent, Petri, Succeſſorumque ejus privilegium eſſe, quòd ipſorum judicia certa ſint, quòd ſint irreformabiles definitiones, quando in materia fidei & morum ex cathedra loquun-

quuntur. De Apoſtolica Sede loquitur Alexandrina Synodus an. *359.*, Athanaſio Præſide, congregata. *Ipſa enim firmamentum a Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipſam formam univerſorum lucidiſſimam Dominus Jeſus Chriſtus veſtram apoſtolicam conſtituit Sedem. Ipſa eſt etiam ſacer vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur: Tu profanarum hæreſum, atque omnium infeſtantium depoſitor, ut Princeps & Doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis.*

Quid honoris ergo, quid auctoritatis, Petro, & Succeſſoribus, tributum a Domino oſtenditur, per hoc quòd Apoſtolica Sedes dicatur fixum & immobile firmamentum Eccleſiarum omnium, quaruncunque hæreſum profligatrix, Princeps, caput, Doctor chriſtianæ doctrinæ & fidei orthodoxæ, ſi ejus tantùm judicium in rebus fidei & morum definiendis infallibile non eſſet? Ulterius progredimur. Si hoc privilegium ſæculi etiam Principibus aſſeris, iiſdem quoque tribue encomia, hujuſcemodi privilegii ratione, ſoli Petro communicata. Si Eccleſiæ acceptationem exigis, non Petro, ſed Eccleſiæ tantùm encomia illa tributa dicas, quæ in ſolo Petro judicii infallibilitatem oſtentant. At Concilia nec Principibus, nec Eccleſiæ, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi eadem adſcribunt, dum inquiunt tantùm illam eſſe ſacrum verticem, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur. Solius ergo Apoſtolicæ Sedis eſt Eccleſias omnes docere quæ credere habent; Principibus omnibus præcipere, quæ obſervare debent: Ipſa autem a nemine, niſi a ſolo Deo edocta, a quo ſolum infallibilitatis donum agnoſcit, ita Principibus ſæculi, ita Eccleſiis, firma & ſtabilis in confeſſione veræ fidei occurrit, ut contra eam nullate-

latenus poſſint nec terrenæ poteſtates inſurgere, nec portæ inferi prævalere.

Ad ſolos Romanos Pontifices confugerunt antiqui Patres, ut in Fidei controverſiis veritatis lumen haberent. Et ſi Concilia aliquando convocata ſunt, non ipſis ſeculares Principes, ſed vel per ſe ipſos, vel per Legatos ſuos, Romani Pontifices præfuerunt. Conciliorum autem convocatio non ideo fiebat, ut firmiùs haberetur, quod Pontifices definierant, ſed ut apertiùs patefierent. Non enim aliter a Pontificum definitionibus Concilia definiebant; & ſi aliter, non Concilia, ſed conciliabula habebantur. Nec ideo convocabantur, ut ipſa definirent, quæ Pontifices definire non poterant, aut decidere neſciebant. Nec enim Concilia robur aliquod in catholico Orbe habebant, niſi priùs illis romanæ confirmationis vis accederet. Quæ ergo Pontifices, vel priuſquam Concilia convocarentur, definiebant, vel poſt Conciliorum definitiones, confirmabant, latiùs per orbem atque diffuſiùs agnoſcebantur, cùm toti fere catholico mundo, in Conciliis congregato, innoteſcerent. Cæterum unica veritatis regula Petri Cathedra erat, a qua Eccleſiæ omnes fidei dogmata recipiebant. Hinc Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum, fatebatur. *Ego nullum primùm, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad illam ſolitudinem commigravi, quæ Syriam junctò Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum Sanctum Domini interjacentibus ſpatiis a Sanctimonia Tua ſemper expetere; ideò hic Colle-*

 gas

gas tuos Ægyptios Confeſſores ſequor., & ſub onerariis navibus parva navicula deliteſco. Non novi Vitalem; Meletium reſpuo; ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

At experientiam advocas, quâ videri oculis, & manibus contrectari a nobis facias, magis magiſque decorum in Hæreticorum Eccleſiis ordinem, quàm in noſtris haberi, quia inibi controverſiæ, quæ ſuboriuntur, interpoſitâ Principum auctoritate, faciliùs longè, ac minori motu, & diſcrimine, abolentur. Experientiam acceptamus. Et experimur in primis, Joannem Petræum, Lutheranum, in admonitione, quâ docet, vitandos eſſe Flaccianos, hæc ſcripſiſſe. *In Eccleſia noſtra ſchiſmata, & diſſenſiones non exiguæ ortæ ſunt; adeout etiam Saxoniæ Elector tali negotio ſe immiſcuerit, & Colloquium Aldemburgenſe inſtituerit, ut ſcilicet hujuſmodi medio, cum tali odio, ſcandalo, & detrimento, conjunctum diſſidium conſopiretur. Sed nihil omnino profuit. Nam univerſum hoc Colloquium non ſolùm ſine fructu diſſolutum eſt, ſed pejorem etiam inde omnis cauſa ſtatum ſortita eſt.* Videſne quàm facilè inter vos, interpoſitâ etiam Principum auctoritate, controverſiæ, quæ ſubnaſcuntur in Fide, aboleantur, ut primis illis temporibus, quibus non adhuc tot tantaſque rixas veſtra diſſenſio pepererat, Electoris Saxoniæ auctoritas, non longè faciliùs, ac minori motu, & diſcrimine, ut jactas, eas compoſuerit; ſed potiùs, ut ipſimet Conſectarii tui fatentur, omnis cauſa pejorem in deſtatum ſortita fuerit

Experientias proſequamur. Joannes Jetzlerus, Schaphuſianus Sacramentarius, de diuturnitate belli euchariſtici, pag.79., hæc habet. *Circa illa tempora com-*

Digitized by Google

complures ex Germaniæ Dynaſtis non ſolùm Zuinglianos nominatim damnarunt velut hæreticos, ſed etiam Edictis publicis caverunt, ne libri Zuinglianorum & Calviniſtarum vendantur, emantur, legantur, habeantur. Quem effectum Edictorum hujuſcemodi auctoritas ſortita ſit, ex iis, quæ noſtris temporibus videmus, facilè eſt judicare. Nicolaus Gallus, Lutheri diſcipulus, in Theſibus, & Hypotheſibus, fol. ultimo, ſcribit. *Sunt inter nos non de levibus rebus diſſenſiones, ſed de Lege, & Evangelio, de Juſtificationibus, & bonis operibus, de Sacramentis, & uſu Cæremoniarum; quæ quidem coire ſimulque ſtare haud poſſunt, ut ſunt: Lex in templis docenda eſt, & non eſt; Juſtitia noſtra aut ipſa eſt Dei eſſentia, aut ipſius Dei in nobis opus, aut imputatio obedientiæ ejus extra nos &c.* Has autem non leves de Lege & Evangelio diſſenſiones cujuſnam Principis auctoritas inter Lutheranos compeſcuit unquam? Sunt ne facili negotio abolitæ, & a quonam? Tandem, ut ſexcentos alios prætermittamus, Theodorus Beza contra Pappum, pag. 143., & 144., fatetur. *Philippum cum Sacramentariis in præſenti controverſia de Cœna Domini feciſſe; (hoc eſt contra Pappum) Quod autem non apertè Calviniſtarum hæreſim publicè aliis expoſuerit, id ſtudioſè & prudenter Philippum diſtuliſſe; quia nondum ſatis adhæc inſtillanda Principum aures Philippo patuerant.* Videſne quinam Spiritus Principibus tuis aſſiſtat? Philippi nimirum Melancthonis lingua ſubdola, fallax, verſatilis. Si illorum aures huic, vel iſti ſimilibus, pateant, felix gens veſtra, nihil habebit in Religione tutum, nihil in Fide firmum Saxonici Theologi in Colloquio Aldemburgenſi faſſi ſunt, hæc de Philippo ſcribentes. *Poſtremò, quàm ſæpè libros ſuos immutarit, & variarit, nimis*

 verè

verè Pontificii nobis objiciunt; *idque omnium maximè factum eſt ſeneſcente Luthero*.

Denique Apoſtolus quidem, immo ipſemet Chriſtus ait, opus eſſe, ut ſcandala veniant. Sed væh, inquit, homini illi, per quem ſcandalum venit. Non eſt utique ſignum veræ Eccleſiæ controverſiis carere, quæ ſcilicet mox naſcantur, & illico pereant; quòd ſupremus controverſiarum Judex eas faciat exulare ab Eccleſia, ne Eccleſiæ unitas lædatur. At quòd controverſiæ immortales evadant, & Judex non ſit, qui eas decidere valeat; quinimmo quilibet, privato ſuo ſpiritu utens, eas potiùs foveat, quàm enecet, hoc profectò ſignum non eſt veræ Eccleſiæ, ſed ſathanicæ potiùs Synagogæ turpiſſima nota. Chryſoſtomum audiamus in Opere imperfecto hom. 20. in Matth. hæc ſcribentem. *Tales homines* (hæreticos intelligit) *arena dicuntur, non terra; quoniam terra quidem fructum facit, arena autem ſterilis manet. Deinde quia terra quidem unita eſt, & in ſe ipſam conſtricta; arenæ autem grana non conveniunt ſibi, nec adhærent ad invicem. Sic ſunt & omnes Infideles, qui ſub Diabolo ſunt, non ſunt uniti, nec unum ſapiunt, ſed ſunt per diverſas opiniones diſperſi, & alius quidem ſic dicit, & alius ſic*.

Habemus nos Eccleſiæ noſtræ, quæ vinea eſt Domini Sabaoth, vigilantiſſimum Cuſtodem, qui ubi in ea diſſenſionum ſpinas conſpicit exoriri, illico eradicandas præcipit. Et ſi quæ contentiones inter Catholicos permittuntur, non Fidei dogmata reſpiciunt, ſed aliis de rebus, quæ ſalvâ Fide poſſunt pro utraque parte ſuſtentari. At Vos, qui, ex Veſtrûm quoque confeſſione, in Fidei capitibus diſſentitis, haſque diſſenſiones non extinguitis, ſed fovetis, qua ratione probabitis, de vera Eccleſia eſſe, ſi veræ Eccleſiæ unitatem

non

non conſervatis ? Si controverſiarum Judici, a quo veræ Eccleſiæ unitas dependet, non adhæretis ? Quinam probi ac fideles inter Hæreticos Homines manifeſtabuntur, ſi omnes a fide, ac probitate, defecerunt ? Probantur quidem fideles in controverſiis, quę ſubnaſcuntur, quoties ab Eccleſiæ unitate non recedentes, ſpiritui diviſionis non ſe adjungunt. Vos autem jam ab Eccleſia ſeparati eſtis, jam eſtis ab ejus unitate præciſi; eſtis quoque in vobiſmetipſis ſpiritus diviſionis, immo contradictionis: Quanam ergo probitate, quanam fide, in controverſiis veſtris probandi eritis ?

§. XVIII.

EPISTOLA.

Quic quid ſit, extra dubium eſt, ſi Deo viſum fuiſſet Principes ac Imperatores ad Evangelii lu„ cem vocare, quo tempore ab Apoſtolis tan„ tùm non minutæ plebi illud annunciatum eſt, quin „ plenam Religionis curam ſibi ſumſiſſent. Eſt enim „ hæc pars maximè conſpicua, quæ ad ſummum per„ tinet imperium, neque ab illo ſeparari poteſt, aut „ debet, niſi dividi majeſtatis jura velimus, & ſpargi, „ deſtruique illa imperii pignora, ex quibus ſuprema „ judicanda eſt poteſtas. Vidit adeo hanc neceſſita„ tem ſapiens vetuſtas, ut in antiquiſſimis Perſarum, „ Ægyptiorumque, Romanorum, aliorumque Po„ pulorum, regnis idem Rex ſemper eſſet, & ſummus „ ſacrorum Antiſtes: quamvis ſacrificia, cultûſque di„ vini adminiſtratio, Collegio Sacerdotum commit„ te-

„ terentur. Monſtrum certè in politica eſt doctrina, „ in una civitate duo reperiri corpora, quorum unum „ Reſpublica, alterum Eccleſia nuncupabitur. Nec „ poteſt ejuſmodi ſtatus non perniciosis motibus, tur„ biſque, obnoxius eſſe, cùm quod Reſpublica im„ perat, alter, qui in animas ſibi vindicat imperium, „ vertere poſſit. Et quid, quæſo, iniquius, quàm ſa„ crum Ordinem, qui ex fundis Reipublicæ fructus „ carpit uberrimos, opulentiſſimaque poſſidet prædia, „ alteri imperio ſubeſſe, qui extra Rempublicam eſt? „ Ex hujus quoque arbitrio dependere, ſi vel operam „ commodare, vel partem fructuum conferre iſte „ debeat, cùm Reſpublica, cujus in patrocinio eſt, „ ſalutem ſuam aliter expedire nequeat. Sunt profe„ ctò hæc adeo abſurda, & ad felicem Reipublicæ „ ſtatum, internamque tranquillitatem, adeo inepta? „ ut perniciosius dogma nunquam potuerit animo „ concipi, aut proferri.

RESPONSIO.

IGitur non pauperculos Piſcatores, ſed Potentiſſimos Principes, Chriſtus debebat ad Eccleſiæ ſuæ propagationem deſtinare? Et hoc ſane pacto Principibus jus in Eccleſiam donaſſet, quo exinde freti, in utramque Monarchiam majeſtatis jura extendiſſent? Verùm Deus non Principes, ſed Piſcatores deſtinavit, ut iidem in eccleſiaſtica Hierarchia Principes eſſent; & Petrus, illorum omnium caput, ſupremus in univerſalis Eccleſiæ regimine gubernator. At ponamus hypotheſim tuam habuiſſe locum, quando primò feciſſet Chriſtus ab Apoſtolis, non minutæ plebi, ſed Principibus, Evangelium annuntiari, & Principes Evangelii

Digitized by Google

lii doctrinam illico recepiſſent; Principes ne, ad fidem jam converſi, an Apoſtoli, qui eos illuminaſſent, Eccleſiæ regimen habuiſſent? Apoſtolos ſi mavis; non ergo tunc diverſa facta fuiſſet diſpoſitio ab illa, quæ jam modò facta obſervatur. At ſi Principes præfers, quærimus inſuper; aut Principes jure ac legitimè Apoſtolis ſucceſſiſſent, an verò violentiâ ac fraude ſacrum imperium occupaſſent? Hoc alterum ſi aſſeris; igitur Chriſtus a primis occupantibus invadendam Eccleſiam ſuam reliquiſſet, adeout rapinæ potiùs cederet, quàm juſtitiæ concederetur. At ſi primum; porrò ſucceſſores non diverſi haberi a Prædeceſſoribus debebant, adeoque illa eadem obſervare, quæ a primis illis obſervabantur. In hujuſmodi autem ordine non amplius fuiſſent Principes, ſed Epiſcopi; ſicque vel principatum debuiſſent aliis tradere, ut Principum ſeries per generationem ab illis continuaretur, vel cum Epiſcopatu conſervare, quemadmodum modò Romanus Pontifex, aliique inter Catholicos Epiſcopi, ſunt eccleſiaſtici Principes, & politici ſimul.

A capite igitur ad calcem, aut Chriſtus non debebat Apoſtolos in Eccleſiæ ſuæ regimine conſtituere, ſed Principes; & tunc jura illa unita perſeveraſſent, ſicut a Chriſto fuiſſent primitus inſtituta: Aut ſi Apoſtolos conſtituit, etiamſi ab Eccleſiæ incunabulis non minutæ plebi, ut ais, ſed Principibus viris, Evangelii lux perveniſſet, non tamen diverſa Eccleſiæ Hierarchia fuiſſet ab ea, quæ de facto eſt, & quæ uſque modò a Chriſti inſtitutione integerrimè eſt conſervata. At ſi credis, quòd ſi Principes ab Eccleſiæ primordiis Chriſti fidem recepiſſent, in tam altum creſcere non ſiviſſent Epiſcoporum & Pontificum potentiam: Hoc ſanè aliud non eſt, quàm vel tyrannidem in Apoſtolis

cre-

Digitized by Google

credere, vel tyrannidem in Principibus deſiderare.

Sacerdotium & Regnum debent quidem mutuâ concordiâ foveri, at non mutuâ debebant conjunctione componi. Ut corporis imperium diverſum eſt ab ſpiritûs dominatu, ita & non idem utrique jus dicere conveniebat. Non debent igitur duo illa mutuâ diſſenſione disjungi, ſed neque debent mutuâ unione confundi. Unum alterius fulcrum fuit; ſed ſi conjuncta fuiſſent, facilè alterius fuiſſet excidium, clades, & ruina. At hæc non ita a nobis dicta eſſe velis, ut arguas, nos dare velle Calvino manus, dum contra Romani Pontificis temporalem principatum infeliciter debacchatur. Fatemur quidem ultro, antiquis quoque temporibus, regiam poteſtatem cum ſacerdotali conjunctam aliquando fuiſſe. Melchiſedech in Naturæ lege Rex fuit, & Pontifex. Moſes in lege ſcripta Sacerdotium adminiſtravit, & regnum. Hinc de ipſo ſcriptum reliquit Philo, lib.3. vitæ Moſis. *Hæc eſt vita, hic eſt exitus Moſis, Regis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ*. Heli etiam, ut cæteros prætereamus, & Pontifex fuit, & Judex; ut lib.1. cap.1. Regum narrat hiſtoria. At diverſum ſanè eſt dicere, aliquando pontificiæ poteſtati regalem fuiſſe adjunctam, & velle utramque ſemper debere ſimul unitam eſſe; & ſi non fuerit, quod majeſtatis jura diſperdantur, deſtruantur, peſſundentur. Primum nos quidem aſſerimus, & recenſitis, aliiſque, exemplis, politicum Romani Pontificis principatum a Conſectariorum tuorum calumniis vindicamus. Alterum verò nec tu primus in medium attuliſti, nec Heterodoxi tui primi omnium attulerunt. Impius Chriſtianæ Religionis deſertor, Julianus Imperator, primus fuit, cui tu, tuique ſimiles, hanc væſaniam debetis. Is enim, Sozomeno teſte, lib.5.

Digitized by Google

lib.5. cap.5., Laicocephaliam primò exercens, Clericos omnes Laicorum Curiis ſubjicere conatus eſt.

De cætero politicæ majeſtatis jura ab eccleſiaſtica poteſtate non deſtrui, nec diſperdi, a Petro Bleſenſi, epiſt.73. Principes noſtri Catholici diſcunt. *Duo ſunt gladii, qui mutuum a ſe mendicant auxilium, atque ad invicem ſibi vires impartiuntur alternas, Sacerdotium Regibus, & Sacerdotibus Regnum; ideoque ſi ab altero ſuppletur alterius inſufficientiâ, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata.* Inſuper ſęcularem poteſtatem corpora reſpicere, animas verò ſacram; & ſicut animas regendi alia eſt ratio ab ea, quâ corpora gubernantur, ita & non eandem ſęcularem & eccleſiaſticam potentiam eſſe, a Chryſoſtomo, de Sacerdotio lib. 3. cap.5., iidem Principes noſtri traditum agnoſcunt. *Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm: Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipſum etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit.*

Sęculares denique Principes, minimè ſibi a Chriſto datam eccleſiaſticam poteſtatem, ſed ſolùm ejuſdem poteſtatis Pontificibus collatæ, ſeipſos defenſores eſſe, quovis tempore agnoverunt; & vel ipſimet Imperatores primis Eccleſiæ ſæculis fatebantur. Valentinianus, ut in hiſtoria tripartita legimus, Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo ex Laico electo, & de electione ſua contriſtanti, ſcribebat. *Noli timere, quia Deus, qui te elegit, ſemper te adjuvabit; & Ego adjutor, & defenſor tuus, ut meum ordinem decet, ſemper exiſtam.* Non permiſiſſent ſanè Principes prudentiſſimi, majeſtatis jura convelli, deſtrui, diſperdi, ſi hoc eventurum noſſent, quum regno Sacerdotium unitum haud quaquam foret. Politica tua tandem illud nacta

 eſt

eſt arcanum, quod tot tantique Principes in Eccleſia uſquemodò non invenerunt. Verùm arcano iſto non ſervantur regna, ſed deſtruuntur; cùm nullum ſit, quod deterius regnorum incolumitati præjudicium inferatur, quàm quod cum ſacris juribus profana confunduntur.

Laudas dehinc ſapientis vetuſtatis praxim, quâ id factum aſſeris, ut nunquam regia a ſacra poteſtate ſe jungeretur; ſed ſemper idem Rex foret, ac ſummus ſacrorum Antiſtes. Populos inſuper enumeras, qui hac praxi uſi fuerunt, & Perſas primo loco ponis, Ægyptios poſtmodum, Romanos quoque, alioſque. Nihil autem de Hebræis addis, quorum regimen a Deo fuerat inſtitutum, & ad cujus potiùs inſtar debebat Chriſtiana Reſpublica gubernari, quàm ſecundùm aliarum gentium mores, quæ nihil cum Deo commune participabant. At apud Hebræos alia fuit Levitica Tribus, quæ Sacerdotalis erat, alia verò Judaica, quæ erat Regia. Hinc 2. Paralipom. cap. 26. Oziam Regem thus adolere volentem, prohibuit Pontifex verbis illis. *Non eſt tui officii, Ozia, adolere incenſum Domino, ſed Sacerdotum*. Nihil tamen ob Pontificis correptionem melior factus Ozias, Deum provocavit, ut ſcelus ſuum gravi leprâ puniret, Joſaphat verò Rex, 2. Paralipom. cap. 19., contra ſe declaravit: *Ananias Sacerdos & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*. En ergo in Iſraelitica Monarchia, quam Deus inſtituit, & pro qua regenda Deus ipſe leges tulit, pontificiam poteſtatem diſtinctam a regia fuiſſe, atque ſejunctam.

Romanæ Monarchiæ modò inſtituta expendamus. Numa Pompilius Romæ adhuc pubeſcenti ſacra

Digitized by Google

cra dedit, Flamines præcipuè inſtituens, Salios, Feciales, alioſque hujus generis Sacerdotes, quos omnes Pontifici maximo ſubjecit. Martius, Marci filius, ex Patribus primus omnium Pontifex maximus a Numa creatus eſt; *cujus poteſtati*, ait Polydorus Vergilius, de rerum invent. lib. 4. cap. 14., *omnia ſacrorum jura ſubjecit; quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa, ſacra fieri oporteret, formulam docuit; conſtituitque eum, teſte Feſto, judicem ac arbitrum rerum æquè divinarum, ut humanarum*. Igitur in ſuæ primæ inſtitutionis exordio apud Romanos ſecreta fuit a regia pontificia poteſtas; & non abſimiliter quoque poſt Regum expulſionem in Republica a Conſolari, vel altera profana poteſtate diviſa perſeveravit. Donec Octavius, ſummam rerum ſibi uni arripiens, ſuſcepto Pontificatu maximo, poteſtatem etiam ſacrorum ſibi arrogavit. Quem deinde ſuccedentes Imperatores imitati ſunt; ut in ipſorum nummis, ab Auguſto incipientibus, facili negotio obſervamus.

Non igitur a ſua primaria inſtitutione apud Romanos fuit ſacræ poteſtatis cum civili conjunctio; quin potiùs a Numa, prudentiſſimo ſacrorum Romæ inſtitutore, fuere eædem, ut opportunè, ita & juſtè, diſjunctæ. Labente poſtmodum Republicâ, ac totâ Imperii ſummâ uni Auguſto redactâ, ut cæteræ inferiores poteſtates, quæ primitus diviſæ in pluribus videbantur, poſtea in uno ſolo Imperatore unitæ ſunt, ita & Pontificatûs dignitas maxima ſibi etiam ſoli ceſſit. At non fuit inſtitutionis ratio, ut ita fieret, fuit potiùs inſtituti laudabiliter cœpti infelix depravatio, quam in exemplum adducere, illorum dumtaxat ſcias eſſe, qui corruptelas pro legibus colunt, vel leges Gentium Chriſti Evangelio anteponunt. Quæ inſuper de Per-

 ſis,

ſis, atque Ægyptiis profers, eò nos adducunt, ut miremur valde, te ita præfrictæ frontis eſſe, ut nullatenus erubeſcas, ad ſuperſtitionis formam Religionem reducere! Quæ conventio lucis ad tenebras? Chriſti ad Belial? mendacii ad veritatem?

Monſtrum tamen in Politica eſſe, inquis, in una Civitate duo reperiri corpora, quorum unum Reſpublica, alterum Eccleſia nuncupetur. Duo hæc corpora ſi nullam inter ſe ſubordinationem ſubeant, ſi nullum ad ſe invicem ordinem dicant, ſi nulli fini aſſequendo unitim dirigantur, monſtrum ſanè componunt; at ſi unum ex illis alteri ſubordinetur, ſi ambo inter ſe invicem referantur, ſi utrumque eidem ſupernaturali fini aſſequendo conſpiret, mōſtrum nullo pacto erit;ſicut non eſt in uno homine duas reperiri ſubſtantias, quarum una ſit corpus, anima verò altera. Nec motus, quos comminiſceris, ſequi unquam comperietur, dum qui in animas ſibi vindicat imperium, tunc ſolùm Reipublicæ juſſa vitabit, quando comperiet in animarum perniciem a Republica dimanari. Recole quæ ſuperiùs de Pontificum in temporalia Principum poteſtate dicta ſunt; & quæ hìc ſuperaddis, in fumum etiam evaneſcere comperies.

Non enim Deus pontificiam poteſtatem ad regnorum deſtructionem inſtituit, ſed ad conſervationem; nec ab illa impeditur unquam, aut retardatur, vel in minimo refringitur ſæcularis poteſtatis uſus, at ſolummodo abuſus. Abuſus tamen foret Principum, qui regna deſtruere, & monarchiam nituntur extinguere, quando perfidiam, & hæreſes profiteri ſtudent, & introducere; meritò igitur a Pontificibus, & canonicè forent objurgandi, coërcendi, atque eliminandi.

Ini-

Digitized by Google

Iniquitas, quam in catholicis regnis oſtentas te lugere, potiùs a te fuerat in Iſraelitica Republica deploranda. Levitæ enim uberrimos fructus ex Reipublicæ fundis capiebant, & nihilo ſecius alterius imperio, quàm Regis, obtemperabant. Et quemadmodum extra hebraicam Rempublicam non erat Pontifex, cujus imperio ſuberant Sacerdotes, ita nec Pontifex extra Chriſtianum Populum in catholico orbe eſt conſtitutus, cui totus ipſemet catholicus orbis ſubjacet. At quod pluris eſt, nec quidem inter Gentes Princeps ullus in rebus Diis dicatis ſibi unquam imperium vindicavit. Solum Dionyſium, Syracuſanum Tyrannum, hiſtorica monumenta produnt, templa furari conſueviſſe, & Numina irridere. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. teſtem ſe perhibet. *Syracuſis Dionyſius genitus, tot ſacrilegia ſua, quot jam recognoſcimus, jocoſis dictis proſequi, voluptatis loco duxit. Fano enim Proſerpinæ ſpoliato Locris, cùm per altum, ſecundo vento, claſſe veheretur, ridens: Amici, videtis ne, ait, quàm bona navigatio ab ipſis Diis immortalibus Sacrilegis tribuatur.* At in impio Tyranno ſacrilegii facinus etiam Gentiles ipſi deteſtati ſunt; unde pœnas recenſens, quibus ſcelerum ultor in Dionyſium juſtiſſimè animadvertit, laudatus Valerius hæc in fine adjecit. *Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.*

Verùm ut quid injuſtiſſimè debaccharis in Poloni Cleri divitias, quarum non levem, aſſeris partem Romam tranſmitti, cùm illius inclyti regni antiquiſſimus mos fuerit, cenſum Apoſtolicæ Sedi ſolvere, qui ſanè ex Laicorum quoque redditibus deſumebatur? Cenſus hujuſcemodi apud Gregorium VII. Rom. Pont. lib. 2.

lib.2. epiſt.7. ad Uratislaum ſcribentem, memoriam habemus. *Pervenit ad Nos. Nuntius veſter, qui magnæ devotionis & fidelitatis veſtræ exhibitionem nobis retulit, & quæ B. Petro ſub nomine censûs miſiſtis, videlicet centum marchas argenti, ad menſuram veſtri ponderis, fideliter præſentavit. Quod quidem gratanter accipimus, ſed charitatem veſtram multò ardentius, ampliuſque, quaſi quibuſdam animi brachiis, ad vos uſque porrectis, amplectimur, qui mentem veſtram, & deſiderium magis ac magis erga reverentiam Apoſtolicæ Sedis accendi perpendimus: Beatus autem Petrus, quem Vos diligitis, & cui celſitudinem potentiæ veſtræ humiliatis, copioſa vobis procul dubio retributionis munera præparabit, & ſuo vos munimine tam in præſenti, quàm futuro ſæculo, lætificabit*; Boleslaus verò, propter belli calamitates, a cenſu iſto ſolvendo ſe excuſaſſe, apud Baronium legimus ad ann.1013., qui id ipſum ex Ditmaro refert. Quod autem audiſti a Ditmaro, ſe excuſaſſe Boleslaum a ſolutione censûs, propter Henrici Regis inſidias intellige. Cæterum cenſus iſte ab exordio converſionis Poloniæ ad Chriſtianam Fidem fuit Polonorum Gentis pietatis ergo promiſſus annis ſingulis Principi Apoſtolorum, & ejus loco ſucceſſori Romano Pontifici perſolvi ſolitus; qui etiam hoc ipſo ſæculo, ut dictum eſt, reperitur exactus a Gregorio Papa VII., anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo quinto.

Quando autem catholici Principes bellum infidelibus agere conſtituunt, nonne etiam Eccleſiæ homines, Religionis & Patriæ bonum privatis commodis præferentes, redditus ſuos Principibus, offerre conſueverunt? Vel quando pro aliqua Reipublicæ calamitate ærarii fundos compertum eſt defeciſſe, Ec-

clesiæ

Digitized by Google

cleſiæ ipſæ, pro communibus malis ſublevandis, non ne adhuc ſuppetias viſæ ſunt obtuliſſe? Sunt igitur quoque pro Rege, pro Regno, opulentiſſima illa prædia, uberrimi fructus illi, qui ab Eccleſiaſticis viris ex Reipublicæ fundis percipiuntur. Polonæ Genti, cujus imaginem fingis, omni tempore quum incolæ eccleſiaſtici, tum ipſemet Romanus Pontifex, vel ut ab Infidelibus ſe defenderet, vel ut eoſdem deſtrueret, qui Religioni & Patriæ exitium minabantur, ſubſidia præſtiterunt uberrima, ſumptuſque opulentiſſimos. Sub Gregorio XI. Rom. Pont. ann. 1375., Præſidente Jroslao, Gneſnenſi Archiepiſcopo, Concilium Uniejovienſe celebrarunt Poloni, in quo ſtatutum legimus, ut bini groſſi de uniuſcujuſque marcæ proventu Sacerdotiorum in ſumtus belli Turcici conferrètur. Sub Calliſto III., ann. 1456., Præſidente Sprevio, Gneſnenſi pariter Archiepiſcopo, Concilium Petricovienſe coadunatum eſt, pro ſubſidiis qnoque Regi Caſimiro ad bellum Pruſſicum ab Eccleſiaſiicis contribuendis. Sub Alexandro VI. ann. 1491. Concilium etiam Petrocovienſe coëgit Fridericus Princeps, Archiepiſcopus Gneſnenſis, ab eodem Alexandro VI. cardinalitiâ dignitate ornatus; in quo quidem Concilio Alberto, Poloniæ Regi, bellum in Turcas meditanti, quartam partem censûs pro ſubſidio Sacerdotes contribuere præcepit.

Eadem ſanè ſtatuta invenies in Concilio Caliſſienſi, ann. 1457., in Concilio Lancicienſi, ann. 1429., in altero Lancicienſi, ann. 1466., in Concilio Petrocovienſi, ann. 1485. in Concilio Lancicienſi, ann. 1506., quæ omnia in Polonia celebrata fuiſſe, eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta tradunt. Noſtrâ etiam tempeſtate ſanctiſſimæ memoriæ Innocentius XI. ingentem

[illegible]

ſanè pecuniarum ſummam Joanni IV., Regi invictiſſimo Polonorum, qui Turcicam ſuperſtitionem deſtruere conabatur, liberaliſſimè ſubminiſtravit. Quòd quidem omnibus, quæ ſub cœlo ſunt nationibus, exploratum putamus. Ut videas, juſtis aliquando de cauſis, non ſolùm de regno aurum non abſtrahi, ſed potiùs a Romanis Pontificibus theſauros Eccleſiæ ſubminiſtrari, ut regni neceſſitatibus occurratur.

Pientiſſima tamen Polonorum Gens omni ſtudio egit, ne Eccleſiarum redditus, ad profanos uſus diſſipandi, a Præpotentum violentia uſurparentur. Quapropter temporibus Innocentii IV.. ann.1246. Fulco, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Concilium Lanciciense celebravit, in quo Conradum, Maſoviæ Ducem, quòd Epiſcopi Cracovienſis prædia crudeliter diripuiſſet & incendiſſet, anathemate percuſſit, atque diris invaſorem ſacrilegum devovit. De Concilio etiam Lancicienſi, ann.1285., Ludovicus Bail, tom. 2. Canciliorum. hæc ſcribit. *Sub tempus electionis Honorii IV. celebratur, quo Jacobus Suinca, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Henricum IV. Ducem Vratiſlavienſem, cognomento Probum, re autem improbiſſimum, communione Chriſtiani Populi, unà cum ſociis & factoribus ſceleris & ſacrilegii, excluſit; quòd Thomæ Epiſcopo ad bellum grandem pecuniæ ſummam impoſuiſſet, & non ſolventem ad condictam diem ſuà ſede expuliſſet, bona omnia Eccleſiarum intra diæceſim conſiſtentia, decimaſque omnes invaſiſſet, & nefariè ſibi uſurpaviſſet. Vide Cromerum lib 10., & Stephanum Damalenicum in vitis Archiep. Gneſnen.* Plura apud eundem Bail Concilia in Polonia pro bonorum eccleſiaſticorum immunitate, Eccleſiarumque jurium libertate, celebrata inveniuntur; nimirum Lancicienſe, ann.1556., Petri-

tricovienſe, ann. 1540., Lovicienſe, ann. 1556., Petricovienſe, ann. 1621. Sanè ſi verè Polonus fuiſſes, ut te eſſe fingis, & cùm etiam in eccleſiaſticis rebus te apprimè verſatum jactes, hæc omnia tuam memoriam præterire non debuiſſent. Aut ſi conſultò fugerunt, ut liberiùs poſſes in Eccleſiaſticos, eorundenque bona, quorum invidiâ angeris, acriùſque ſcribere; quæ fides tibi habenda eſt, cùm loqui neſcias, quin aut in loquendo erres, aut mentiaris.

§. XIX.

EPISTOLA.

AD hæc probanda omnis ævi hiſtoria luctuoſa nobis ſuppeditat teſtimonia, quibus patebit, cun-
„ cta orbis regna, ubi hæc jura majeſtatis diviſa fue-
„ rant, inteſtinis diſcordiis, ex hoc fonte ortis, dila-
„ cerata fuiſſe, & ſæpius civili maduiſſe ſanguine.
„ Profectò funeſta illa bella, quibus per ſæcula ali-
„ quot concuſſus eſt orbis chriſtianus, hinc originem
„ ſuam traxiſſe non negabit quiſquis præteritorum
„ temporum non ignarus eſt. Non opus eſt aliena ad-
„ ducere exempla, quum domeſticis malis quotidie
„ experimur, quanto cum Nationis noſtræ damno ac
„ pudore hæc diviſio facta ſit. An turpiùs ſervitutis
„ genus in ullam gentem conſtitutam legitur? Cùm
„ in eas perſonas, a quibus Reſpublica adminiſtratur,
„ pœnas ſtatuat Pontifex Romanus, an non Rempu-
„ blicam ipſam ſuæ libidini ſubjacere docet? Quò
„ enim tendit tam audax facinus, quàm ut nos tan-
„ quam vilia mancipia ſui eſſe juris oſtendat? Quod

Digitized by Google

„ jugum liberæ genti non turpe minus quam grave, „ niſi maſculè rejiciamus, de Republica ac libertate „ noſtra actum eſt. Novimus a Deo conſtituta eſſe „ imperia civilia, populoſque juſſos eſſe ipſorum le- „ gibus obſequi; quod de Hierarchia Romana nun- „ quam accepimus eſſe præceptum. Et cùm hac Chri- „ ſtianam gentem poſſe carere monſtratum ſit, non „ autem abſque imperio vivere Magiſtratûs civilis; „ tantò magis Rectoribus Civitatum incumbit jus „ ſuum ab eorum temeritate, qui illud involaverint, „ vindicare.

RESPONSIO.

Luctuoſa profectò teſtimonia omnis ævi hiſtoria ſuppeditat, quibus regna ipſa corruiſſe probatur, quando Reges ſacra jura cum profanis confundere pertentarunt; & manifeſtum quidem omnibus ſæculis fuiſſe inflictum a Deo ſupplicium, ut rebelles iis Principibus ſubditi redderentur, qui debitam Romano Pontifici obedientiam denegare auſi fuiſſent. Quot turbas, quas cædes, poſtquam Henricus VIII. a Romana Eccleſia defecit, Anglia miſerrimè experta eſt? Non quidem civili tantùm ſanguine madefecit, ſed & regio. Adeo exitialis eſt hæreſis Coronis, quibus fulmina etiam parcunt, ut per ſæcula adhuc non audito ſcelere, auderent Subditi in Regem Sententiam ferre, eumque non vi armatâ, ut pleriſque accidit, ſed pro tribunali ſedentes, quod nemini, regno, atque vita, privarent. Finitimæ adhuc regnis illis provinciæ non ſtatim obedientiam Romano Puntifici detractarunt, ac Regi ſuo fidem, compertæ ſunt denegaſſe. Non enim ingratum illis erat, quòd jura illa diviſa

diviſa eſſent; moleſtiùs fortaſſis ferebant in ſeipſis non eſſe unita: cùm non in eo conatus ipſorum collimaverint, ut in alterutro ex illis, Pontifice ſcilicet, aut Rege, diviſa jura unirentur, ſed ut in ipſiſmet unicè copulata remanerent. Non igitur Romani Pontificis principatus regna Regibus deſtruit, ſed conſervat: eaque potiùs Tyrannis invaſoribus, aut ſeditioſis civibus adimit, ut legitimis Principibus reſtituat.

At demus eccleſiaſticorum proventuum amplitudinem talem ac tantam fuiſſe, ut vel apud Principes, vel apud Populos, eccleſiaſticis hominibus invidiam conflaverit; quare vitio Eccleſiæ vertendum hoc ipſum erit, & non magis Principum illorum, aut Populorum avaritiæ inculcandum? Diſcordiis ſanè ex hoc fonte ortis regna vidimus lacerata, & civili ſanguine madentia. At nuſquam hoc vidit Polonia, niſi quando hæreſis inceperat in ea graſſari; quâ poſtmodum, Eccleſiaſticorum zelo, compreſsâ, illico Laicorum invidia evanuit. Accipe Spondanum, Scriptorem Gallum, tom.2. contin. Baronii, ad ann. 1552. n. 17. hæc de Poloniæ rebus poſterorum memoriæ demandantem. *In Polonia magna fuit hoc tempore controverſia inter Epiſcopos & Proceres laicos, eorum auctoritati & potentiæ invidentes: Occaſione Stanislai Orichovii, Canonici Permislienſis, illuſtri familiâ orti, qui ob cœlibatum oppugnatum, & ductam uxorem, haud tamen objuratâ Religione catholicâ, excommunicatus a ſuo Epiſcopo fuerat; & quorumdam aliorum Nobilium, hæreſis poſtulatorum*. Iiſdem ſunt conſona, quæ ſcripſit Ludovicus Bail tom. 2. Conciliorum, in Concilio Lovicienſi in Polonia ann. 1556. celebrato. *Majori jam tunc ex parte Senatus regni Poloniæ in hæreſim ver-*

Digitized by Google

gebat, ac omnimode adnitebatur Epiſcopos Senatu movere.

Religionis ergo contemtus Eccleſiæ homines contemtui eſſe facit; & ſi ſemel in fidem inſurgunt homines, Eccleſiæ quoque bellum parare conſtituunt. Non igitur reddituum amplitudo, quibus Eccleſiæ abundant, non proventuum ubertas, quibus Eccleſiaſtici ditantur, Eccleſiis, & Eccleſiaſticis, invidiam conflant; ſed potiùs neglectæ fidei ſcelus, ſpretæ Religionis crimen, & invaleſcentis hæreſis amor, eò adducunt homines, ut odio, ludibrio etiam, illos eoſdem habeant, quos antea amore, & veneratione proſequebantur. De cætero tu, tuique ſimiles, Majorum veſtrorum pietati ſuccenſere debebatis, non eccleſiaſticorum hominum modeſtiæ, quòd veſtræ olim Eccleſiæ, tot tantiſque redditibus ditatæ fuerint. Vos autem pietatem illam, liberalitatemque, turpi avaritiâ, atque enormi etiam crudelitate, deturpaſtis; illudque agere pertentaſtis, ut non minùs Deo Eccleſias, quàm Principi urbes, eripientes, & Deo ſacrilegi, & Principi perduelles, eſſetis.

Verùm quæ tam ſubita mutatio ex Epiſcoporum Regni Poloniæ Patrono iiſdem te acerrimum reddidit oppugnatorem? Epiſcoporum jura antea te tueri ſimulabas, aperto Marte nunc eadem proſcindis; & cùm dedecori aſſereres iiſdem eſſe Romano Pontifici ſubiici, modò & dignitatem vilem facere, & bona ipſa illis ſurripere pertentas? Agnoſcimus quidem, nec epiſcopalis decoris zelum, nec polonicæ libertatis amorem, calamum tuum ad ſcribendum impuliſſe; at potiùs Apoſtolicæ Sedis odium in primis, & Eccleſiaſticorum omnium exinde invidiam, linguæ, & calamo, non quidem verba, multò minùs rationes, ſed con-

Digitized by Google

convicia, & contumelias, communicaſſe. Adeout quantumvis animum tuum, tuamque ſententiam, conatus fueris ſub ficto nomine ſimulare, eruperit tandem, vel te nolente, furor, quo in Eccleſiam ureris, & in Pontifices excandeſcis.

At ad Polonos redeamus, quorum cauſam ut ſemper te fingis agere, ita & nunquam illam deſinis deturpare. In graviſſimum, ais, Polonorum Rempublicam adductam eſſe diſcrimen, quod depellere cives aggredientes ab eo prohibeantur, qui extra Rempublicam eſt, hocque turpiſſimum, aſſeris, ſervitutis genus Polonis eſſe. Nunquam profectò reputaverunt hanc ſibi ipſis ſervitutem eſſe Poloni, quam & multoties extenſis quoque brachiis implorarunt; unde apertiſſimum fit, quàm injuſtè Polonis imponas nova illa querelarum genera, quæ majores ſui nullo quidem tempore agnoverunt. Sæculo undecimo ineunte Polonorum Ducem a Sergio, Romano Pontifice regalem dignitatem petiiſſe, & nullatenus impetraſſe; ſuperiùs enarravimus. Anno poſtmodum vigeſimo ſupra milleſimum treceteſimum, Wenceslaum Ducem a Joanne XXII. regium titulum, & regalia inſignia obtinuiſſe, Cromerus Polonus memorat. Ex Concilio inſuper Lancicienſi in Polonia, ann. 1522., Ludovicus Bail, quæ ſequuntur, loco a nobis ſuperiùs laudato, refert. *Celebravit Joannes Laſcius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, pro conſervatione juriſdictionis eccleſiaſticæ, inſurgentibus in Clerum pſeudo-politicis, & Lutheranis; & ut Archiepiſcopus Gneſnenſis Legatus natus, ac Primas, fungatur officio legationis in Provincia, ſecundùm Bullam Leonis X.* Demum Gneſnenſem quoque Antiſtitem Polonorum Regi inungendo Romanos Pontifices deſtinaſſe, Poloni ipſi fatentur.

Polo-

Digitized by Google

Polonorum Reges etiam advocamus, quorum ſententia, cùm inter Epiſcopos, & laicos regni Proceres, de primatu in ſeſſionibus, & de bellicis expeditionibus, lis exardeſceret, Epiſcopis omnino favit. Rem geſtam narrat Epiſcopus Apamienſis, Spondanus, in Baronii continuatione, ad ann. 1506.num.*6.* *Hoc anno cùm celebrarentur Lublini in Polonia regni comitia, diſceptatum ibi eſt inter Proceres, & Epiſcopos, de ratione ſedendi in Senatu regio, ac de expeditionibus bellicis; contendentibus Proceribus, ut alterum latus Regis ſibi Epiſcopi concederent, & ut bona eccleſiaſtica, perinde ac nobilitatis, publica belli onera ſuſtinerent: Tuentibus verò Epiſcopis prærogativas ſuas antiquas, ut utrique Regis lateri aſſiderent, & militiæ vacationem bona eccleſiaſtica haberent. Quam controverſiam poſt longam altercationem ita Rex Alexander diremit, ut Epiſcopis, & Eccleſiis, prærogativæ ſuæ ſalvæ eſſent.* Ex Matthia Michovio, Canonico Cracovienſi, lib 4. cap.82., & ex Martino Cromero, lib.3., de Polonorum rebus accuratè ſcribentibus, hæc Spondanus aſſerit ſe retuliſſe.

Quàm igitur a libello tuo diverſimode ſentiunt de Romanorum Pontificum auctoritate, de Epiſcoporum decore, de Eccleſiarum bonis, non ſolùm privati Poloniæ cives, ſed Reges ipſi, quorum cauſæ non parum intererat, ut ampliſſimos redditus vel ſibi, vel Reipublicæ, adſcribere, aut potentibus Proceribus ingratos non ſe oſtendere; ſed omnia poſthabere conſultiùs judicarunt, ut Deo, quæ Dei ſunt, redderentur, & ne veritati, cujus potentia cunctis prævalet, nec in minimo ſe opponerent! Verùm non minori Tu inſolentiâ ſcribis, audax fuiſſe facinus, quo Polonos, tanquam vilia mancipia, Pontifices ſui juris eſſe oſten-

oſtenderunt. Hoc idem, quod audax facinus appellas, & erga cæteros catholici orbis Principes, & erga Polonorum quoque Rempublicam, non ſemel Romani Pontifices exercuerunt; nec tamen unquam, aut de Regibus, aut de Republica, actum eſſe, nemo vidit. Immo & regna pene labentia, & cadentes Reſpublicæ, hoc paternæ benevolentiæ fulcro a Pontificibus præſtito, ſteterunt; ipſorumque charitati & zelo, quòd non corruerint, ſe debere, profitentur.

Pacis zelus ſanctiſſimum Pontificem impulit, ut civilia Reipublicæ bella quocunque conatu extinguere niteretur. Eſt ne hoc grave imponere jugum, quod maſculè rejici oporteat? Suaſionibus egit, precibus etiam, minis demum, ſive laicos Magnates hortaretur, ſive eccleſiaſticos Senatores ad communem concordiam urgeret. Quodnam ex hoc Reipublicæ diſcrimen? Quodnam Senatoriæ dignitati dedecus? Eſt ne audax facinus, quo Polonos mancipia ſibi faceret, & non potiùs paternæ charitatis opus, quo Polonorum libertati conſuleret, & Reipublicæ Religioni præſideret? Verùm Tu qua temeritate Polonam Gentem traducis, eâdem etiam ignorantiâ Polonum nomen ementiris. Quòd ſi verè Polonus eſſes, utique ſcires, quæ Thomas Stapletonus, Anglus, ex Cromero, Polono Hiſtorico, narrat. Ad literam illa eadem tibi recitamus, ut certior de Polonorum rebus fias, & nolis deinceps nomen deſumere gentis, cujus hiſtoriam narras.

Ait ergo Stapletonus, de magnitudine Romanæ Eccleſiæ, lib. 2. cap. 2. *Ubi Fridericus ſecundus Teutonicos milites, e Syria abductos, magno chriſtiani orbis malo, in Germania collocaſſet, atque ad Pruſſiæ Provinciam, a Chriſti ſide tunc alienam, & Polonis Chriſtianis inſen-*

inſenſam, ſubigendam, Chriſtique religione imbuendam, ſolâ interveniente Gregorii IX. auctoritate, deſtinaſſet, ut latè narrat Cromerus, & ex publicis actis contra Nauclerum & alios probat; inter vicinos Principes Chriſtianos, & iſtos Teutonicos milites variæ ſimultates, & contentiones, quæ ad arma prorumperent, ſubinde exortæ ſunt. Ad quas aſſiduè componendas, nec Ordinis illius præclari ad fidem dilatandam progreſſus, quibus Satan invidebat, impedirentur, vide ut Romani Pontifices inceſſanter advigilarint. Poſt annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum tertium, cum Sventoplocus Dux, bello armiſque promtiſſimus, plurima Teutonicis eripuiſſet, Guillelmus, Epiſcopus Mutinenſis, Apoſtolicus Legatus, efficit, ut ablata illa redderet, pacemque cum Teutonicis firmaret. Sed & cùm paulò poſt fidem datam fallere cœpiſſet, idem rurſus efficit Opiſſo, Abbas Meſſanenſis, Innocentii IV. Legatus. Ab eodem ſimiliter Innocentio miſſus aliis de cauſis Jacobus, Archidiaconus Leodienſis, pacem rurſus violatam inter Teutonicos, & eundem Sventoplocum, redintegravit.

Ulteriora ſubdit poſt pauca laudatus Scriptor. *Sed & paulò poſt, anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto, cùm inter Polonos & Teutonicos bellum oriretur, ad id componendum ſuam auctoritatem Romanus Pontifex requiſitus interpoſuit; cui tamen Ludovicus Bavarus, Imperator, ita obſtitit, ut pax exitum non ſortiretur, ait Cromerus. Exarſit poſtea exitiale & funeſtiſſimum bellum, anno milleſimo tercenteſimo ſexageſimo tertio, quo tota Germania conflagraſſet, inter Carolum quartum, Imperatorem, Regem Bohemiæ, Moraviæ, Germaniæque Principes ex una parte, & Caſimirum Poloniæ, Ludovicum Hungariæ, Sigiſmundum Daniæ, Reges, Ruſſiæque, & Tartariæ Principes, ab alia parte. Quod ubi*

ubi ſenſit Urbanus quintus, Romanus Pontifex, Legatum miſit, qui non modò Reges adduxit ad concordiam, ſed omnes ipſos affinitatibus novis conjunxit. Sed & rurſum cruentiſſimis bellis inter Teutonicos & Polonos ortis, quæ nullo modo componi poſſe videbantur, tandem Joannes vigeſimus tertius, prudenti conſilio uſus, Legatum miſit, per quem pactæ induciæ inter Teutonicos & Polonos, & controverſiæ rejectæ ad Concilium Conſtantienſe. Papa declaratus ter ſuos ad eandem rem conficiendam Legatos miſit; ubi ſemper magis ſe difficiles ac refractarios Teutonici præbuerunt. Quapropter graviſſimis adhuc bellis inter eos & Polonos obortis, ad ea ſedanda Nicolaus quintus Legatum miſit. Paulus quoque ſecundus, ei ferè proximus, ad eandem rem miſit Legatum Rudolphum, Epiſcopum Lauſanenſem, per quem tandem confecta pax ſumma cum laude, quæ firma & fixa perſtitit, donec Illuſtriſſimus ille Ordo, maximo Germanicæ Nationis dedecore, ad Lutheraniſmum prolapſus, penitus extinctus fuit; & Livonia a Moſcovitis occupata, magnaque regnis germanicis deceſſio facta; quod Tilmannus Brendebacchius, edito de ea re libello, & Cromerus, latè exponunt.

Majora ſubnectimus, ex Polonicis Conciliis eruta, apud Ludovicum Bail, loco pluries a nobis laudato. De Concilio Lanciŋienſi anno 1181. ſub Alexandro III. celebrato, inquit. *Starovolſcius, Auctor Polonus, in epitome Conciliorum, hoc ultimum ponit Concilium ex iis, quæ ſub Alexandro III. celebrata ſunt. Quo, inquit, barbaræ, & Chriſtiano Populo indignæ, rapinæ proſcriptæ ſunt, punctaque decretorum, ut perpetuum firmitatis robur haberent, per Legatos Caſimiri Principis Alexandro III. Pontifici confirmanda tranſmiſſa ſunt; ut ex reſcripto patet.* Baronius ad ann. 1180. n. 13.

Digitized by Google

num. 13. tom. 12., ad Concilium Lanciníenſe anno 1197. ſub Cœleſtino III. coadunatum, habet. *Auctoritate Legati Apoſtolici, Petri, tit. S.Mariæ in via lata, Diaconi Cardinalis Capuani, celebratum, qui ſingulas diæceſes viſitans, quum alia quædam, quæ adverſaria erant Chriſtianæ Religioni, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, in ſacro pariter & profano Ordine inoleverant, correxit &c.* Item Starovolſcius ad Concilium Uratislavienſe, ann. 1247., ſub Innocentio IV. habitum, ait. *Scribunt de hoc Concilio Michovius & Cromerus apud Spondanum ad ann. 1246., habitum fuiſſe ab Epiſcopis Poloniæ, ac Jacobo Archidiacono Leodienſi, quem Innocentius IV. recens in Poloniam miſerat, tum ad motus ejus regni componendos, tum ut Pontifici, a Friderico Imperatore vehementer exagitato, aliquid ſubſidii obtineret. Polonus autem promtâ liberalitate ergà Pontificem quintam partem redditaum eccleſiaſticorum ex tota Polonia in triennium obtuliſſe, ac citò tranſmiſiſſe.*

Poſtremis quoque temporibus Concilium Petrocovienſe actum eſt, ann. 1576., ſub Gregorio XIII. Concilii Præſide Aloyſio Lippomano, Epiſcopo Veronenſi, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio; de quo laudatus Bail ſcribit. *Habitum eſt hoc Concilium ad tollendum fœdus ab Hæreticis, tempore interregni, poſt obitum Sigiſmundi Auguſti Regis, initum, & conſervandam puritatem fidei catholicæ. In hac Synodo receptum eſt Concilium Tridentinum, ſancitumque, ut omnis cujuſcunque ſtatûs & conditionis, qui fœdus ſub interregno ante electionem Henrici Regis conceptum, & reclamante Ordine eccleſiaſtico, & Catholicis, renunciatum; in quo permittitur licentia credendi quod quiſque vellet, ſine ulla officii cujuſcunque coërcitione, approbare, tueri, defendere, aut illi conſentire velit, auctoritate S. Synodi, Spiritualis* qui-

Digitized by Google

quidem anathema declaretur, *ac ab officio ſuſpenſus*, *beneficio quoque privatus eſſe decernatur*; *Sæcularis verò excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.* Nimii eſſemus, ſi aliis recenſendis Polonorum monumentis inhæreremus; quæ ſanè non deeſſent, ſi animus eſſet, vel neceſſitas afferendi, ut eſt copia, promta ſimul & parata.

Plura tamen nemo petet, ut ſibi certo certius conſtet; quàm diverſus, immo contrarius planè ſit modus, quo, ut falsò, ita & iniquè tu aſſeris, Polonam Gentem erga Apoſtolicam Sedem in præſenti ſe gerere, ab eo, quo ſemper in rei ipſius veritate illa ſe geſſit. Audax facinus Romani Pontificis paſtorale munus appellas, illa autem optatiſſimum patrocinium nominavit, petiit, & imploravit. Reipublicæ diſcrimen aſſeris impendere, ex jugo, quod toti regno audet Pontifex imponere; regni robur, reipublicæ præſidium, libertatis fulcrum, Romanorum Pontificum imperium quovis tempore experti ſunt Poloni, nec tale ipſis eſſe quovis tempore fateri renuerunt. Rempublicam denique Pontificis Romani libidini ceſſuram exclamas; illa contra, Pontificis charitati, vigilantiæ, zelo, debere ſe profitetur, & quòd libertas a finitimis Principibus occupata non fuerit, & quòd regna, hinc ab hoſtibus, inde a civibus dilacerata, non perierint.

Civilia verò regna etſi a Deo inſtituta eſſe fateamur, a Deo tamen hominibus immediatè conferri non affirmamus. Non enim temporalis poteſtas, ad inſtar ſpiritualis eſt, quæ Romano Pontifici a Deo immediatè confertur; quia cùm hæc penes nullam reperiatur communitatem, a ſolo Deo conferri immediatè oportet. Verùm quamvis regia poteſtas a

Deo quoque Regibus immediatè conferretur, non per hoc tamen eſſet ſine debita ad ſpiritualem poteſtatem & innata ſubordinatione, cui neceſſariò, & ex natura ſua, ut ajunt, tanquam medium fini, & ſicut inſtrumentum operi deſervire habet. Deus igitur licèt Regibus regnum immediatè conferret, conferret tamen ſemper ſacerdotio ſubordinatum; & quia ita regnum eſt a Deo inſtitutum, non diverſimode erit a Deo conferendum. Populos icc irco, aſſentimus planè, præceptum a Deo habere, ſuorum Principum legibus, quâ par eſt obedientiâ, ac humilitate, obſequēdis; ſed modo illo præſtandum hoc ſanè volumus, quo Principum leges ſacris legibus non repugnent, nec regni jura juribus ſacerdotii opponantur.

Denique ſcribere non erubeſcis, & hierarchiæ romanæ obedientiam a cunctis gentibus Chriſti nomine conſecratis debitam, nullibi gentium a Deo præceptam adinveniri; & hierarchiâ romanâ chriſtianos populos carere poſſe, qui tamen abſque imperio civilis magiſtratûs vivere haud quaquam poſſint. Carent quidem heterodoxæ gentes romanæ hierarchiæ imperio; at quo damno, quâ animarum ſuarum pernicie, quo civilis ſocietatis detrimento, careant, ipſimet hæretici Scriptores fateantur. Andræas Muſculus, inter Reformatos & novos Evangelicos notus Auctor, conc. I. Advent., teſtatur. *Si quis videre volet ingentem turbam nebulonum hominum, turbulentorum, fallacium, impoſtorum, fœneratorum; civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium purè prædicatur, catervatim tales ibi reperiet*. Et libro de noviſſimo die. *Hoc de nobis Evangelicis teſtari cogimur, magis quàm nos guloſos, ſcortationibus, uſuris, circumventionibus, fraudibuſque, deditos, in toto jam mundo nuſquam repe-*

Digitized by Google

reperiri. Kingus, Londinenſis pſeudo-Epiſcopus, ſuper Jonam ſect.32., iſta ſcribebat. *Operibus & fructibus pœnitentiæ ſignificat: Adeoque procul abeſt, ut ſimus veri Iſraelitæ cum Nathanaele, aut ex parte Chriſtiani cum Agrippa, aut potiùs convincamur perfecti Athei*.

Hoc profectò tibi, tuique ſimilibus, præſtat romanæ hierarchiæ obedientiâ carere; hos ſanè fructus populis veſtris à romanæ fidei confeſſione defeciſſe peperit; Catholicos ſcilicet non eſſe, eſſe autem Atheos. Ita porrò evenit, quando Religio immutatur. Aut Catholicos eſſe, aut Atheos. Religionem nimirum abjeciſtis omnem, quum novam ſuſcipere tentaſtis; & quando voluiſtis ab avita diſcedere, ab omni prorſus diſceſſiſtis. Quæ enim libertas non erit vobis, ut quavis diei horâ novam Religionem, tanquam veſtem, induatis, cùm in Religionis negocio quiſque veſtrûm velit ſibi arbiter eſſe, & judex? Quòd ſi ex Noſtris quoſdam ejuſdem furfuris eſſe opponas; ſupremus tamen Eccleſiæ Paſtor, nobis perpetuò invigilans, vel ſuâ auctoritate impedit, ne plures ſint, cùm apud vos pene omnes ſic eſſe Veſtri etiam fateantur; vel ſuâ juſtitiâ facit, ut qui ſunt, debitâ pœnâ mulctentur, cùm apud vos impunitate gaudeant. Nos ergo, qui ſine imperiò civilis magiſtratûs vivere non poſſumus, abſque romana hierarchia nec benè vivere poſſumus, nec benè mori.

§. XX.

§. XX.

EPISTOLA.

SEd memini exiſtimaſſe Te, quum de hac materia nuper loquebamur, difficulter, & non abſque „ convulſione aliqua Reipublicæ, extirpari illam po- „ teſtatem, quæ tam altas in Polonia egiſſet radices; „ atque id privatorum maximè cauſâ, qui mutatio- „ nem omnem, ut illis damnoſam, vehementer aver- „ ſarentur. Explicui autem tunc pluribus, quàm „ facili hæc obſtacula videbantur tolli poſſe negotio. „ Quæ omnia cùm accuratiùs poſtea reputaſſem me- „ cum, nihil eorum tam arduum inveni, quod con- „ ſilio ac prudentiâ non ſuperari poſſe crediderim. „ Sed hanc rem in aliud tempus ex profeſſo mihi ex- „ pediédam reſervabo Interea quum maximam circa „ Ordinem eccleſiaſticum fore difficultatem prævi- „ deo, duo illius pacandi remedia leviter hic tan- „ gam. Quorum unum eſt, ut omnia perſonis, lociſ- „ que, Religionis privilegia, ac jura, ſicut hactenus „ fuerant, ita porrò conſerventur: Alterum, ut de- „ monſtretur, Eccleſiam Catholicam non ex Ponti- „ fice Romano, utpote ante cujus ortum fuerat, & „ ſine quo eſſe poteſt, ſed ex doctrina, æſtimandam, „ quæ in ſacris literis, Patrum ſcriptis, & Conciliis „ OEcumenicis, tradita reperitur.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

HAud ſanè abſque reipublicæ convulſione poterunt jura illa confundi, quæ cum mirabili reipublicę incremento uſque modò ordinata conſpeximus. In Polonorum animis cum Religionis amore Apoſtolicæ Sedis zelus ita altiſſimas radices egit, ut verbulis tuis, fucati quidem plurimùm, nihil autem ſolidi habentibus, haud facilè tibi erit a Majorum ſuorum ſemita Polonam Gentem demovere. Cauſa haud tantùm privatorum hominum erit, ſed & totius reipublicæ in primis; utpote illi maximè damnoſus exitus, qui ex injuſta mutatione oriretur. Compertum nobis eſt, quàm fortiter in Polonorum cordibus catholicæ fidei zelus quovis tempore arſerit, cùm vetuſto ævo illo, quo Uladislaus, paulò ante ad Chriſti religionem converſus, in Polonia regnaret, & aliquæ etiamnum in ipſo ethnicæ ſuperſtitionis reliquiæ apparerent, Sbigneus, Cracovienſis Antiſtes, in publica Dieta eum admonere, reprehendere etiam non dubitaverit, quem deinde cæteri quoque Epiſcopi & Senatores, imitati ſunt. Unde melior ex illorum correptione Uladislaus factus, illud experimento ſuo didicit, Polonos magis ducere in Regibus ſuis fidem, cujus præjudiciis connivere nullatenus ſe poſſe arbitrantur, quàm potentiam, cui etiam reſiſtere, ſi fides expoſcat, & ſciunt ſimul, & valent.

At poſtremis quoque temporibus, cùm Lutheranorum, Calvinianorumque, lues finitimas Poloniæ provincias peſſimè devaſtaret, non unum aut alterum Concilium Poloni Præſules celebrarunt, ut fidei puritatem in catholica republica ſartam tectamque ſerva-

Digitized by Google

varent. Concilium Petrocovienſe, ann. 1540., actum legimus, *ad hæreſi Lutheranæ inſurgenti obicem opponendum*, Concilium Lanciciense, ann. 1547., provincialiter, juſſu Nicolai Dziergovii, Archiepiſcopi Gneſnenſis, celebratum ſcimus, *propter unitatem fidei ſervandam, vitandaſque diſputationes de negotiis religionis inter epulas, & pocula, quas Hæretici movere conſueverant*. Concilium Petrocovienſe, ann. 1551. *propter exterminandas hæreſes* coactum eſt. In Concilio Petrocovienſi, ann. 1557., *inſtituti ſunt quatuor Inquiſitores pravitatis hæreticæ*. In Concilio Varſavienſi, ann. 1561., convocati ſunt omnes totius regni Epiſcopi, *religionis, ac veritatis, conſtabiliendæ causâ*. Concilium Petrocovienſe ann. 1578. habitum eſt *ad tollendum fœdus ab Hæreticis, tempore interregni, poſt obitum Sigiſmundi Auguſti Regis, initum, & conſervandam puritatem fidei catholicæ*. In hoc eodem Concilio Tridentinum Concilium Poloni receperunt, aliaque exhibuerunt avitæ pietatis, ac religionis patriæ ſpecimina, de quibus ſuperiùs locuti ſumus.

Deveniamus modò ad ea enarranda quæ pro romanæ Sedis primatu conſervando, tuendo, & ad heterodoxas aut ſchiſmaticas plagas dilatando, in Polonicis Conciliis geſta ſunt. In Concilio Petrocovienſi, ann. 1620., Bernardus Maciejovius, Cardinalis, & Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Concilii Præſes, *edidit epiſtolam paſtoralem doctiſſimam, pro reformandis Cleri & Populi moribus; proque unione Ruthenorum ritûs græci cum Eccleſia romana promovenda*. Rutheni autem Synodum etiam ſuam tunc temporis Breſte Lithuanico celebrarunt, præſidente Hiſpatio Pociey, Metropolita Kiovienſi, qui a ſchiſmate ad Eccleſiæ Catholicæ communionem redierat. In Concilio Varſavienſi, ann.

Digitized by Google

ann. 1634., ſub Joanne Venzik, Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Primate, & primo Senatûs Principe, *prohibitum fuit ſub anathematis pœna, ne quis librum Bibliorum, ab Hæreticis tunc linguâ polonicâ Gedani impreſſum, legere auderet, quòd multos in ſe Scripturæ ſenſus corruptos, & verba immutata haberet*. Concilium inſuper Varſavienſe, Præſide Matthiâ Lubinio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, anno 1643., celebratum, Urbano VIII. e vivis ſublato, Innocentius X. approbavit. Quæ quidem omnia apud Ludovicum Bail, loco aliàs laudato, quicunque voluerit legere, inveniet.

At obſtacula illa videamus, quæ tecum accuratiùs excogitans, nihil tam arduum inveniſti, quod conſilio tuo, ac tuâ prudentiâ, ſuperari non poſſit. Maximam difficultatem in primis circa Ordinem eccleſiaſticum futuram eſſe, pronuncias. Igitur ſæcularis Ordo promtiſſimus erit, ut ſchiſmati tuo adhæreat, tuoque ſe ſubſcribat errori? Attamen ſi veri ſpeciem haberet prætextus a Romano Pontifice diſcedendi, quem ineptè, ut iniquè, comminiſceris, potiùs eccleſiaſticos, quàm ſæculares homines deberet ad diſcedendum impellere. Decretum enim obtrudis ſemper, quod ſanctiſſimum Pontificem edidiſſe profers adversùs Primatem, & Epiſcopos regni Poloniæ Senatores. At quid Laicis cum hoc decreto, quod Eccleſiaſticos dumtaxat urget? Vel quare Eccleſiaſtici difficulter, ut ais, ſchiſmati adhærebunt, ſi eos tam graviter læſos aſſeris a Pontifice? Subſcribent ne libentiſſimè ſe Eccleſiaſtici propriæ ſervituti, unde Pontificis vilia mancipia reddi patienter ferent? Laici autem adeo delicati apparebunt, ut umbram etiam ſervitutis, quam alii reipsâ patiuntur, pertimeſcen-

 tes,

tes, confeſtim parati erunt bellum canere hoſti, qui nullatenus contra ipſos armatur ?

Cæterum ſi Eccleſiaſticorum nomine Regulares Ordines intelligis, non quidem maximam dicere difficultatem oportebat, ſed inſuperabilem quoque proclamare. Ita enim iſtos Apoſtolicæ Sedi addictos Heterodoxi omnes ſciunt, ut nihili etiam vitam ducant, ſi eam pro illius defenſione perdere oporteat. At ſcimus nos, quòd ſi Regulares Viri ob hæc tuos tuorumque cachinnos audiunt, pro gloria reputant ab hæreticis hominibus irrideri, calumniari, perſequi; cùm pro ſanctæ Sedis honore vita ipſa, quam ſolam habent, quovis tempore certare non pertimuerint. Nihil ſanè antiquiùs Religioſi Homines habuerunt, quàm per totum fermè terrarum orbem, ut catholicam publicare fidem, ita & omnium nationum hominibus erga Apoſtolicam Sedem amorem, reverentiam, obedientiam, prędicare; ſine qua nec fidem quis unquā habere poterit integram, nec fidei præmia adipiſci.

Remedia proponis poſtmodum, quibus valeas Eccleſiaſticum Ordinem emulcere. Et primùm ſubdis, quo omnia perſonis, lociſque religioſis privilegia, ac jura, ſicut hactenus fuerunt, ita porrò conſervabuntur. Egregium ſanè remedium! Membra cōſervare velle, ſed eadem a capite pręcidere! Putaſne Religioſos Homines adeo privilegiorum ſuorum, aut jurium tenaces eſſe, ut pro iiſdem conſervandis parum ducant erga Sedem illam labefactare obedientiam, amorem perdere, a qua omnia ſua privilegia, omnia jura ſua derivarunt? Infinitis propemodum vicibus ſanguinem quoque fundere conſtantiſſimè voluerunt pro illius Sedis honore, cui ſe ipſos peculiari nexu addictos habent; Et non multò magis modo,

pro

Digitized by Google

pro ejuſdem conſervatione, redditunm, jurium, privilegiorum, aliorumque ſimilium, jacturam, ac detrimenta, tolerabunt? Falleris profectò, falleris, ſi adeo cupidos, aut viles, Religioſos Homines putas, ut eos pro auro recedere a romanæ Sedis obedientia arbitreris. Verùm quod intolerabilius eſt; nuſquam equidem Regularibus Ordinibus ſic turpiter Conſectarii tui inſultarunt innumeris, quæ contra illos dicteriis quotidie comminiſcuntur, & publicant, ut tu modò in eoſdem iniquiſſimè armaris: Eos ſcilicet, perhibens, facilè a Romani Pontificis indefectibili obſervantia receſſuros, ſi ipſi jura ſua, & privilegia, conſerventur. Novum porrò criminandi genus! At nuſquam novum, hæreticos homines Religioſos Ordines inſectari.

Alterum remedium expendamus. Eccleſiam catholicam, aſſeris, non ex Pontifice Romano eſſe. O præcidendam bicipiti machærâ linguam, quæ tam audaci ſpiritu contra Pontifices pertonat; immo inſtar rabidi canis contra Petri Succeſſores, & Chriſti Vicarios, latrat; ut qui rectè loqui neſcit, diſcat aliquando tacere! Nos contrà oſtendemus tibi, catholicam eſſe non poſſe Eccleſiam, niſi ex Pontifice Romano ſit. S. Ambroſium, in Oratione de obitu Satyri, hæc alloquentem, in medium primo loco afferimus. *Rogavit, ſi cum Epiſcopis catholicis, ideſt, ſi cum Eccleſia Romana conſentiret.* Pro eodem ergo eſt Ambroſio, Catholicis Epiſcopis, & Romanæ Eccleſiæ, conſentire; immo non ſatis Epiſcopos Catholicos ſe explicaſſe putavit, niſi Romanæ Eccleſiæ vocabulum adjunxiſſet. Hieronymum, in epiſt. ad Damaſum, hæc ſcribentem damus. *Hic in tres partes ſciſſâ Eccleſiâ me ad ſe rapere feſtinat. Ego interim clamito: Si quis ca-*

 the-

thedræ Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis; atque Paulinus, tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Et in altera ad eundem Damaſum epiſtola. *Ego Beatitudini tuæ, ideſt cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; ideſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

At ſi, te aſſertore, catholica Eccleſia non ex Romano Pontifice eſt, cur ergo, Hieronymo judice, extra Eccleſiæ domum comedit agnum, & obinde profanus reputatur, qui Petri Cathedræ communione non ſociatur? Cur extra arcam Noë, in qua catholica figuratur Eccleſia, permanet, & regnante diluvio perit, qui Petri cathedræ non conjugitur? Cur demum non colligit, ſed ſpargit, & conſequenter extra catholicæ Eccleſiæ gremium habetur, qui cum Petri ſucceſſore non colligit? Addere inſuper volumus Optatum Milevitanum, qui lib. 2. cont. Parmenianum probat, Donatiſtas ad catholicam non ſpectare Eccleſiam, quia cum Siricio, tunc temporis in Petri cathedra ſedente, non conjungebantur. Cyprianum quoque, lib. 4. epiſt. 8., Romani Pontificis cathedram appellantem Catholicæ Eccleſiæ matricem, atque radicem. Auguſtinum denique, plures alios conſultò prætereuntes, qui epiſt. 162., de Ciciliano Epiſcopo ſcribebat. Qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas eſſe conjunctum.

Sed

Digitized by Google

Sed quid aliis opus eſt teſtibus, cùm Conſectarii tui romanam Eccleſiam eſſe Eccleſiam catholicam fateantur? Cochlæus in Actis Lutheri, anno 1531., ſcribit, multa prælia fuiſſe inter catholicos, & hæreticos Helveticos acta, & cùm tandem inter eoſdem pax componeretur, in primo pacis articulo hæretici promiſerunt, ſe velle dimittere deinceps confœderatos ſuos quietos circa veram indubitatam & catholicam fidem ſuam; Catholici verò dixerunt, ſe velle dimittere confœderatos ſuos quietos circa fidem eorum. Ubi Scriptores noſtri annotant, nihil addidiſſe Catholicos de Hereticorum fide, eam ſcilicet nec veram, nec indubitatam, nec catholicam, appellantes; cùm tamen Hæretici Catholicorum fidem veram, indubitatam, atque catholicam dixerint.

Ubinam gentium, & apud quos, abſque dependentia ad Succeſſores Petri, & ſine ſubordinatione ad romanam Sedem, catholica Eccleſia perſeveravit unquam, viguit, ſtetit? Omnes quidem, quæ a Romano Pontifice Eccleſiæ defecerunt, nomen deſumſerunt a Ducibus, qui defectionis earum fuerunt Auctores. Ita apud antiquos ab Ario Ariani, a Pelagio Pelagiani, Neſtoriani a Neſtorio, dicti ſunt. Ita apud recentiores pariter a Luthero Lutherani, Calviniani a Calvino, a Zuinglio Zuingliani, nomen acceperunt. Evidens profectò hoc nobis eſt argumentum, catholicam Eccleſiam non eſſe, quæ Calviniana, quæ Lutherana, quæ Pelagiana, appellatur; cùm Calvini ſit tantùm, aut Lutheri, vel Pelagii. Catholicam verò eſſe Eccleſiam, quæ Romana dicitur; cùm hæc a nemine, quàm a Chriſto, denominationem, ut inſtitutionem, agnoſcat. Præſtat legere Lactantium, lib.4. cap. 30. *quum Marcionitæ, aut Ariani nominantur, Chri-*

Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt. Irenæum, lib. 1. cap. 20. *Habent & vocabula a Principe impiiſſimæ ſententiæ Simone, dicti Simoniani*. Pacianum, in epiſtola ad Sympronianum, quæ eſt de nomine catholico. *Certè non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non decidit. Catholicum iſtud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit auctores*. Et infra. *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit*.

Nos tamen a vobis dicimur Pontificii, Papiſtæ, etiam Romanenſes; verùm & hæc eadem nomina oſtendunt catholicos nos eſſe. Ambroſius, loco paulò ante laudato, pro eodem omnino habebat, Romanum, ac Catholicum eſſe. Ariani quoque homouſianos appellabant Catholicos, convicii loco habentes, quod ſanè Catholicorum fidei argumentum erat. Atſi catholica Eccleſia unitatem importat, quonam pacto unitas in corpore ſtabit, quod a capite ſejungitur? Univerſalem Eccleſiam, Catholicam appellamus, & quia univerſalis eſt, univerſali etiam capiti dicimus copulatam. Verùm repugnantiam vobis ſonat dicere Catholicam, & Romanam; univerſalem ſcilicet, & peculiarem Eccleſiam; cùm nequeat univerſalis Eccleſia peculiaris Eccleſiæ nomine nuncupari. Repugnantia non eſt tamen iis, qui Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium matrem agnoſcentes, incongruum haud habent, a capite denominare corpus, a Principe regnum, exercitum a Duce. Hinc univerſalis ſeu catholicæ Eccleſiæ appellatio a corpore habetur, Romanæ verò Eccleſiæ nomenclatura a capite deſumitur. Intende igitur, catholicam Eccleſiã poſſe abſque Romano Pontifice ſubſiſtere;& intendes

Digitized by Google

des ſtatim, ſubſiſtere corpus ſine capite poſſe. Multa hic aſſerimus, quæ probanda etiam eſſent; ſed ſuperiùs probata ſupponimus. Tu autem de more, multa dicis, plura ſupponis, ſed nihil probas. Rem conficiat Cyrillus, catecheſi 18., de Romana Eccleſia, Eccleſiarum omnium matre, quam cum Catholica eandem habet, apertè loquens. *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi ſit Eccleſia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt, ſe habere domum Dei, & Eccleſiam. Sed petas, ubi ſit catholica Eccleſia? Id enim nomen proprium eſt hujus Sanctæ Eccleſiæ, matris omnium noſtrûm.*

Demum intrepidè profers, ante Romani Pontificis ortum catholicam fuiſſe Eccleſiam, & abſque Romano ipſo Pontifice poſſe pariter modò Catholicam Eccleſiam eſſe. Utinam antequam iſta proferres, quæ nonniſi quàm hæretico poterant ore proferri, ac ſchiſmatico calamo ſcribi, Hieronymi epiſtolam ad Pammachium & Oceanum legiſſes! *Quiſquis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas romanis auribus, parcas fidei, quæ apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quòd ante neſcivimus? Uſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina chriſtianus mundus fuit.* Romanam fidem nuncupat Apoſtolicam, ut ſcias, non priùs a Chriſto Domino Eccleſiam fuiſſe fundatam, quàm Petrus Romanus Pontifex a Chriſto eligeretur, ut ſupra illum Eccleſiam fundaret ſuam. Erit ne priùs ædificium, quàm fundamentum? Vel ſine fundamento ſtare poterit ædificium? Iterum Hieronymus, lib. 1. contra Jovinianum loquitur. *Licèt ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Vi-

Vivet ne ſine capite corpus ? Aut ſine capite inter ſe membra conſiſtent ? Cùm ergo Hieronymus Eccleſiæ caput vocet Petrum,& ſubinde Romanos etiam Pontifices , Petri ſucceſſores, quanam profectò rationis ſaltem ſpecie, Eccleſia ſine Romano Pontifice aut fuit unquam Eccleſia , aut poterit modò eſſe ? Cunctis Evangelium ſcientibus liquet , quòd jam olim, pene duodecim ab hinc ſæculis , ſcribebat Gregorius Magnus , lib.4. epiſt.32. *Voce dominica ſancto , & omnium Apoſtolorum Principi Petro , totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt . Ipſi quippe dicitur : Tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .*

Ex doctrina æſtimandam eſſe Eccleſiam, inquis? Non inficias imus . Doctrinam autem in ſacris literis, Patrum ſcriptis , & Conciliis Oecumenicis , traditam aſſeris contineri . Ut ut hæc ſint , etſi non in ſolis hiſce catholica doctrina expreſsè tradita contineatur , continetur tamen implicitè , ut ajunt , ſaltem ex parte : At quid hoc ? Sacræ literæ , Patres , Concilia , uſque modò verbis apertiſſimis Romani Pontificis primatum in Eccleſia , tibi, tuique omnibus ſimilibus , oſtenderunt , inculcarunt . Hæc antiquorum doctrina fuit , hanc quovis tempore Catholici omnes verbo & facto publicarunt . Age ergo : Tertullianus , lib. de præſcript. hæretic. , ſcribit . *Num omnes Eccleſiæ erraverint ? Nullam reſpexerit Spiritus Sanctus , uti eam in veritatem deduceret ? Ad hoc miſſus a Chriſto , ad hoc poſtulatus de Patre , ut eſſet Doctor veritatis . Neglexerit officium Dei Villicus , Chriſti Vicarius , ſinens Eccleſias aliter interim intelligere , aliter credere , quod ipſe per Apoſtolos prædicabat . Et quid veriſimile eſt , ut tot & tantæ in unam fidem erraverint ? Audeat ergo aliquis dicere , erraſſe eos , qui tradiderunt . Quoquomodo ſit erra-*

Digitized by Google

erratum tandiu utique erravit error, quandiu hæreſes non erant. Aliquos Marcioniſtas, & Valentinianos, liberanda veritas expectabat; interea perperam evangelizabatur, tot millia millium perperam tincta &c.
Admittamus autem, quoſcunque ſe jactant, catholicam credere doctrinam, hæreticos non eſſe, per hoc verò, quòd a ſupremo Eccleſiæ capite ſe dividant, nonne ſchiſmatici evadent? Et ſchiſmatici ſi erunt, quonam poterunt jure ad catholicam Eccleſiam pertinere? *Unum ovile*, Joan: 10. Eccleſia vocatur; *unum corpus*, ad Rom. 12. *una ſponſa*, *una amica*, *una columba*, Cantic.6. At tu quando ad Eccleſiæ caput ſub ordinationem tollis, Eccleſiæ unitatem peſſundas. Ramus, qui ab arbore ſcinditur, confeſtim moritur, arbore nihilo ſecius vivente. Areſcit rivus a fonte diviſus, ſed fluente. Qui a romana Eccleſia ſe ſeparat, moritur, areſcit, at Eccleſiæ arbor vivit, at fluit perennis Eccleſiæ fons. Et quamvis ab Eccleſia diviſum membrum Eccleſiæ fidem profiteri ſe jactet, extra tamen Eccleſiæ unitatem conſtituitur. Hieronymus in cap.3. epiſt. ad Titum audiatur. *Inter hæreſim, & ſchiſma, hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis perverſum dogma habeat; ſchiſma propter epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparat.* Annotant Scriptores noſtri per verbum *pariter* non obſcurè ſignificari, quòd ſicut quis per hæreſim ab Eccleſia præciditur, ita & per ſchiſma etiam ab Eccleſia ſeparatur. Auguſtinum inſuper, in lib. d. de fide & ſymbolo, cap.10., conſulamus. *Credimus & ſanctam Eccleſiam utique catholicam: Nam & hæretici, & ſchiſmatici, congregationes, ſuas Eccleſias vocant. Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant; ſchiſmatici autem diſſenſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt,*

 quam-

Digitized by Google

quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam catholicam, quæ diligit Deum, nec ſchiſmaticus, quoniam diligit proximum.

Porrò duplicis generis ſchiſma invenitur; unum quo a membris membrum dividitur; alterum, quo a capite ſeparatur. Primum poteſt aliquando ſine hæreſi eſſe; alterum aut nunquam, aut rarò poteſt. Etenim hoc altero in ſchiſmate negatio obedientię includitur, quæ Eccleſiæ capiti debetur; immo primatus negatur illi, cui a Chriſto traditus in Petri perſona fuit; denique unitas ſcinditur, quam univerſa Eccleſia debet cum capite retinere. Quæ ſanè omnia abſque hæreſi contingere, quis affirmabit? De his quidem ſchiſmaticis loquebatur Optatus Milevitanus, lib. I. contra Parmenianum, in cujus ſchiſmate errorem etiam agnoſcebat. *Deſertâ Matre catholicâ, impii filii dum foras excurrunt, & ſe ſeparant, ut vos feciſtis, a radice Matris Eccleſiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt.* Qui ergo a Romano Pontifice diſcedunt, errando rebelles abſcedunt; cùm nequeant in catholica perſeverare Eccleſia, qui ab eadem, & per hæreſim ſe ſeparant, & per ſchiſma recedunt.

§. XXI.

EPISTOLA.

OStendendum quoque non ab hàc Eccleſia ſeceſſionem intendi, a qua longiſſimè mens mea ab-
„ horret: Sed illius tantùm licentiam, quæ chriſtia-
„ no populo, liberiſque nationibus, jugum nectit,
„ re-

Digitized by Google

„ refrænari, atque repelli. Quis autem erit tam abje-
„ ctæ mentis, tam negligens ſuæ atque publicæ ſalu-
„ tis, ut libertatem hanc nòn ambabus amplectatur
„ manibus? Non læſa reipublicæ jura aſſerat? Non
„ iniquam hierarchiam damnet, quæ non juſſu divi-
„ no fundata eſt, non neceſſaria ad internam Eccle-
„ ſiæ pacem, ſed illi fini, quem omnes reipublicæ ſibi
„ habent propoſitum, quàm maximè contraria? Si
„ dolo malo eam condidiſſent Pontifices, & fraudibus
„ circumventos nos in retia ſua pellexiſſent, nullo
„ jure Sedi romanæ aſtringimur. Si pacto aliquo
„ tenemur, ex illo mutuam oriri obligationem neceſ-
„ ſe eſt, quam cùm Curia romana violaſſet, illâ Po-
„ lonos quoque exolvi evidens eſt. Quæ autem
„ violatio gravior eſſe poteſt, quàm liberam gen-
„ tem in ſervitutem redigere velle? Vetare, illam
„ ne convulſæ libertati conſulat, ſeque ultimo eri-
„ piat diſcrimini? Quamvis enim in Concilio Tri-
„ dentino promtiſſimi eſſent ad agnoſcendam Pon-
„ tificis auctoritatem in eccleſiaſticis Majores noſtri:
„ Non tamen nos ſpoliavimus poteſtate gubernan-
„ di Rempublicam, ſicut uſus & indoles tempo-
„ rum, poſtulaverint. Ex illa obedientia, quam
„ præſtitimus, hunc jam colligimus fructum, ut
„ viliores cunctis habeantur gentibus, qui hacte-
„ nus nos cunctas gentes libertate antecellere, glo-
„ riati ſumus.

Digitized by Google

RESPONSIO.

QUis credet ſeceſſionem a romana Eccleſia horrori tibi eſſe, cùm omnes comperiant omnia tua verba eò collimare, ut ab hac Eccleſia ſeceſſionem Polonorum mentibus ſuadeant? Nobis ſanè imperare non poſſumus, ut credamus, vera eſſe, quæ dicis; quin potiùs, quàm malum ſit a romana Eccleſia ſecedere, nunquam te credimus tecum ſeriò perpendiſſe. Quòd ſi feciſſes, horruiſſes re verâ ſeceſſionem illam, cùm horrore ſint plena verba, quæ S. Fulgentius, de Fide ad Petrum, cap. 38., in illos omnes, qui eam pertentaſſent, direxit. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm Paganos, ſed etiam Judæos, hæreticos, & Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* At jam nuper oſtendimus pro eodem prorſus eſſe, ab Eccleſia catholica, quæ corpus eſt, & a romano Pontifice, qui hujuſce corporis eſt caput, ſeceſſionem aut intendere, aut facere.

Cæterum hæreticis omnibus prætexta conſilio hæc cauſa fuit, cùm ab Eccleſia ſecedere intenderent; denunciare cunctis gentibus, ſe nolle ab Eccleſia diviſionem intentare. Quin potiùs clamabant omnes, ſe velle conſilio ſuo, aut Eccleſiam reformare, aut reſtituere, aut ad priſtinum revocare. Nemo tam præfrictæ frontis fuit, ut ſe Eccleſiam deſerere palàm omnibus auderet exponere. Eccleſiam potiùs poſt ſe trahere velle aſſeverabant omnes, illoſque tantùm deſerere, quos ad Eccleſiam dicebant minimè pertinere. Cujuſvis igitur ſchiſmatis, cujuſvis hæreſis, pium prætextum fingere contenderunt Auctores; tan-

Digitized by Google

tantùmque declararunt abuſum, vel in credendo, vel in operando, tollere ſe velle. Non ergo mirum, quòd Polonorum mentibus ſchiſma, & hæreſim tuam, ſuadere cogitans, certos illos reddere nitaris, te ab Eccleſia ſeceſſionem non intendere, quinimmo longiſſimè ab ipſa mentem tuam horrere.

Aſſeris nihilominus, te dumtaxat Romani Pontificis licentiam refrænare velle, atque repellere. Hâc eâdem dicendi inſolentiâ uſi ſunt Conſectariorum tuorum Duces, quum ab Eccleſia receſſerunt. Lutherus, Calvinus, hiſque alii ſimiles, falſo induti zelo, religionis, pietatiſque, ſpeciem præferentes, vel Evangelicos, vel Reformatos, ſe appellantes, romani Epiſcopi tyrannidem reprimere, Eccleſiam a tot abominationibus repurgare, Fideles a tot tantiſque ſuperſtitionibus avertere, ſe jactabant. At quo infelici exitu, norunt omnes, quibus veræ religionis amor, ſinceræque pietatis Zelus, non adhuc extincti ſunt. Adeo verum eſt, hypochriſim ut plurimùm ad impietatem viam parare. Sed cùm ſimulata æquitas duplex ſit iniquitas, inde iniquiſſimos ſe homines produnt, ex quo ſe æquos eſſe ſimulabant.

Libertatem libero proponis populo. Quis libertatem liberæ reipublicæ contendit? At videre præſtat, quam libertatem aſſeras ambabus manibus amplectendam? Si liberam Polonam Gentem intendis a politica poteſtate vindicare? Jam libera eſt, jam reſpublica eſt. Romanus Pontifex nec Tyrannum illi ſuperimponere cogitavit unquam, nec reipublicæ jura pervertere, nec libertatis privilegia, vel minuere, vel immutare. Bella ſunt, quæ libertati exitium parant, maximè autem civilia, quæ reipublicæ afferunt mor-

Digitized by Google

mortem. Bella ſtuduit Pontifex comprimere, reipublicæ membra inter ſe connectere conatus eſt, capitum multiplicitatem e civili corpore avertere procuravit, ne reſpublica in horrendum degeneraret monſtrum. Eſt hoc ne libertatem opprimere, an conſervare? Læduntur his artibus reipublicæ jura, an confirmantur?

Atſi liberam rempublicam ab eccleſiaſtica poteſtate pertentas aſtruere? Jam non libertas eſt, quam ſuadere cogeris, ſed ſeditio; & eò quidem iniquior, quòd non a Principe, ſed a Deo ſeditioſos præcidit. Platonis verba uſurpamus, quum de republicę libertate nobis loqui contingit. *Qui verò omnibus vivendi præferunt libertatem, jugum verò ſervile fugiunt, tanquam malum, ii caveant moneo, ne inſatiabili importunæ libertatis aviditate in Majorum ſuorum incidant morbum, quem quidem illi propterea paſſi ſunt, quòd nulli parêre volentes, libertatis amore intemperanter uſi ſunt.* Verùm hac arte vaferrimâ, ut iniquiſſimâ, liberos homines ad exitiale ſchiſma tentas perducere, cùm iiſdem dulce libertatis nomen anteponas. Poloni tamen adamant quidem libertatem, ſed non ita amant, ut libertatis amore intemperanter uti velint. Libertatem ſanè, quam a civili poteſtate immunem uſquemodò ſervarunt, ambabus manibus ſtringent. Illam verò, quam a pontificio principatu niteris ſuadere, cùm Majoribus ſuis cognita haud unquam fuerit, utpote catholicis hominibus omnino indigna, protinus rejicient. Immo facto ſuo præclare oſtendent, Chriſto, ac illis qui Chriſti in terra locum implent, obedire, haud ſervitutem eſſe, ſed regnum. *Reipublicæ ſinceræ, ac continuæ in ſacram Sedem Romanam devotionis remonſtrandæ, quàm millies millieſque innato Genti*

hui

Digitized by Google

huic zelo profitendo. Sub ſtatûs, & Ordinis Reipublicæ confœderatæ nomine, Poloni Senatores Sanctiſſimo Domino Clementi XI. ſcribebant.

Sed in orbem iterum redis. Pontificiam Hierarchiam, ais, divino juſſu non eſſe fundatam? Superiùs tibi oſtendimus Eccleſiæ ædificium, & in Petro, & in Petri ſucceſſoribus fundamentum. Pontificiam Hierarchiam haud eſſe neceſſariam, ſubdis, ad interiorem Eccleſiæ pacem ſervandam? At ab eadem unitatis neceſſitatem in Eccleſia principaliter petendam eſſe, demonſtravimus. Pontificiam Hierarchiam, aſſeris demum eſſe fini, quem omnes reipublicæ ſibi habent propoſitum, quàm maximè contrariam? Verùm probavimus quoque ſpiritualem poteſtatem temporali non obſtare, immo potiùs fovere illam, & conſervare. Interea canonem vigeſimum Concilii Cabilonenſis II. accipe. *Si inter omnes fideles pax, & concordia habenda eſt, multo magis inter Epiſcopos, & Comites eſſe debet, qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter ſe concordare debent, ut alterutrum ſibi ad Dei ſervitium peragendum, & miniſterium ſuum explendum, non ſolùm non noceant, quin potiùs adminiculo ſint*. Canonem inſuper Concilii Moguntini retine. *Et Epiſcopi poteſtatem habeant res eccleſiaſticas providere, regere, gubernare, atque diſpenſare, ſecundùm canonum auctoritatem; volumus, & ut Laici in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias Dei, Viduas, & Orphanos defendendos; & ut obedientes ſint eis ad eorum chriſtianitatem ſervandam; & Epiſcopi conſentientes ſint Comitibus, & Judicibus, ad juſtitiam faciendam*. Quibus denique artibus pontificia poteſtas fuerit primùm condita, ſuperiùs quoque enunciatum eſt; divinâ ſcilicet auctoritate inſti-

tuta,

Digitized by Google

tuta, cœleſti omine parta, Deique optimi maximi auſpiciis aucta, propagata, ſolidata.

Ad Concilium Tridentinum, quo nos advocas, devenîmus. Sigiſmundus II. cognomento Auguſtus, Polonorum Rempublicam tempore, quo Concilium hoc habitum eſt, regebat. Huic miſſo a Pio IV., Pontifice maximo, Canobio Nuntio, Concilii etiam convocatio communicata eſt. Quam ſummopere commendans Sigiſmundus, Valentinum Herbutum, Præmiſiliæ Epiſcopum, Oratorem ſuum Concilio deſtinavit. Hic honorificè à Patribus ſuſceptus, apud Hoſium, Cardinalem Polonum, divertit. Tandem Concilio expleto, Decretorum volumen Nuntio Commendono, qui ordinariè apud Sigiſmundum degebat, Pontifex miſit, ut a Rege & a Republica, acceptaretur. Regi Nuntius obtulit, Rex Senatui præſentavit; omnes autem communi plauſu receperunt. Verum ſolemniter Gregorii XIII. tempore, anno vero 1578., in Concilio Petricovienſi, ſub Jacobo Uchanſcio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, abſente; & Præſide Aloyſio Lippomano, Sedis Apoſtolicæ Nuntio, Concilium Tridentinum receptum eſt a Polonis.

Ex iis, quæ enarravimus, omnibus verè conſtat, te quidem hoc loco ingenuè aſſerere, quòd promtiſſimi in Tridentino Concilio Poloni ſe oſtentaverint ad Romani Pontificis auctoritatem agnoſcendam. Verùm cum hac una veritate non unum mendacium ſtudioſè nectis. Primùm dicis, Polonos Romani Pontificis auctoritatem in eccleſiaſticis agnoviſſe. At Polonos totum Concilium, abſque limitatione, vel reſtrictione, acceptaſſe, ex innumeris documentis liquet; & præcipuè ex epiſtola, die 7. Auguſti anni 1564. a Nuntio Commendono Sanctiſſimo Cardinali, & Medio-

diolanenſi Archiepiſcopo, Carolo Borromæo, ſcripta; quinimmo, quod ſatius eſt, ex obedientia, quam in omnibus integram Polonorum Reſpublica Romano Pontifici quovis tempore exhibuit.

Concilium verò non in eccleſiaſticis tantùm, ſed in quibuſvis perſonis, Pontificis auctoritatem declaraſſe, ex ſeſſ.22. cap.11. *de reformatione*, diſcimus: *Si quem Clericorum, vel Laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali, aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis, vel regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, cenſus, ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obventiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios,* vi, vel timore incuſſo, *ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinet, percipiantur; is anathemati tandiu ſubjaceat, quandiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive beneficiato, integrè reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit.*

Habemus inſuper ex ſeſſ. 25. cap.20. *de reformatione*, quæ ſequuntur verba. *Cupiens ſancta Synodus eccleſiaſticam diſciplinam in chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam a quibuſcunque impedimentis conſervari; præter ea, quæ de eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque Principes officii ſui*

Digitized by Google

admonendos eſſe cenſuit; confidens eos, ut catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit, jus ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & Superiores Ordines, reverentiam revocaturos; nec permiſſuros, ut officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliquâ violent; ſed unà cum ipſis Principibus debitam ſacris ſummorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent.

Demum in ſeſſ.24. cap.9. *de reformatione*, aliiſque in locis, invenies paſſim, non ſolùm in eccleſiaſticis, ſed etiam in ſæcularibus perſonis, regali quoque aut imperiali dignitate fulgentibus, Tridentinum Concilium Pontificum auctoritatem extendendam declaraſſe. Hinc, aut merum eſt mendacium, quo iniquè calumniaris inclytam Polonorum rempublicam, cùm eam dictites, ex parte Tridentinum Concilium recepiſſe, quando omnino totum recepit; aut alterum eſt commentum, quo Concilium ipſum impiè traducis, ab ipſo propalans, non ad ſæculares perſonas pontificiam auctoritatem dilatatam eſſe, ſed ad ſolas eccleſiaſticas reſtrictam, ac limitatam.

At quis poteſtate rempublicam gubernandi Polonos ſpoliavit? Omnes norunt, ſanctiſſimum Pontificẽ ſpiritualem auctoritatem, quam in eccleſiaſticis & ſæcularibus habet, in præſenti Poloniæ diſcrimine tantùm erga Eccleſiæ homines exercuiſſe. Tuæ Epiſtolæ titulus fatetur, a Pontifice decretum emanaſſe adversùs Primatem, & Epiſcopos, Poloniæ Senatores. Verùm ex hoc quodnam reipublicæ damnum acci-

Digitized by Google

accidit? Fructum dicemus potiùs, quem ex obedientia illa, quam Majores ſacro Concilio exhibuerunt, modò Nepotes colligunt; ut ſcilicet non viliores cunctis gentibus habeantur, ſed illis longè feliciores, qui Romano Pontifici rebelles, Patrem non habent, non Paſtorem, non animarum Ducem, a quo ad concordiam revocentur, ſi aliquando contingat civilibus diſſidiis lacerari. Gloriantur ſanè Poloni, cunctas Gentes aliorum regnorum libertate antecellere; glorientur quoque, nullis Gentibus per totum orbem Religione cedere. Hæc duo ſunt catholicarum rempublicarum monilia inſigniora, *Religio, & Libertas*; ut hac Polona Gens aliarum gentium prima fuit, ita & illâ non fuit alteri ſecunda.

§. XXII.

EPISTOLA.

PEriimus; niſi eodem ardore, quo armatos perculimus hoſtes, provectam Curiæ Romanæ inſolentiam retundamus. Aut quare humiliores nos geremus ſpiritus, quàm alii Populi oſtenderunt, quum eâdem tentabantur impudentiâ? Quid egiſſet Henricus octavus, Angliæ Rex, quum Pontifex illi inſultaſſet, nemini ignotum eſt. Probavit ſe meliori jure caput eſſe Eccleſiæ in ſuo regno, quàm Pontificem Romanum; vetuſque illud ſimul excuſſit jugum. Ab eo tempore libertas Anglicanæ cœpit Eccleſiæ; quanquam dolendum eſt, eam in hæreſim poſtea degeneraſſe. Sed meliùs adhuc Gallia libertatem ſuam in Eccleſiaſticis tuetur, quæ minùs ti-

Digitized by Google

„ met fulmem Vaticanum, quàm Curia Romana tri-
„ bunal veretur Pariſienſe, quod toties audaciam
„ ejus repreſſit. Quid Sorbona minitetur, & quàm
„ in propatulo poſuerit imbecillitatem juris canoni-
„ ci, non ſemel audivimus. Plorabit iterum Petrus
„ ad Galli cantum; & quòd dilatum eſt, alio perfi-
„ cietur tempore, quum novus Galliæ Metropolita
„ fulgorem Sedis Romanæ obfuſcabit. Quare autem
„ nos idem non ſperabimus, ſi maſcula æquè capia-
„ mus conſilia, tantò magis noſtram condecoratura
„ Rempublicam, quantò pronioribus ad libertatem
„ ducimur ſtudiis.

RESPONSIO.

PEriiſſent Poloni, niſi te adjutorem nacti eſſent validiſſimum. Tu, quà conſilio, quà oraculo, quà exemplo, deſides illorum animos moves, ut quo ardore armatos hoſtes percülerunt, eodem prorſus romanæ Curiæ potentiæ ſe opponant. At quæ conventio inter Patrem, & hoſtes? Hoſtem niteris declarare, quem illi venerari gloriantur ut Patrem? Ipſi autem credent magis experimento ſuo, quàm tuo livori. Sciunt Poloni, Pontifices maximos quovis tempore ſuis proſpexiſſe periculis; ut theſauris, quos largâ manu ad reipublicæ auxilium profundebant, qui verè reipublicæ hoſtes erant, profligarentur. Regni clavum Sigiſmundus III. moderabatur, Turcarum autem imperium Oſmannus regebat, quum experti ſunt Poloni, quàm præſtò ſibi fuerit Gregorii XV., Pontificis maximi, munificentia, ad belli fulmen avertendum, quod provinciis illis Oſmanni ferocitas minabatur. Achatio Grochovio, Primiſilienſi, & ad apo-

Digitized by Google

apoſtolicam Sedem Oratori, ingentem auri ſummam ſingulis menſibus deſtinavit Pontifex; majorem daturus deinceps, niſi de pace jam Polonos inter & Turcas inita, a Coſma de Torres, Hadrianopolitano Archiepiſcopo, & in Poloniæ regno apoſtolico Nuncio, factus eſſet certior.

Cum verò Clemens X. apoſtolicam Sedem impleret, & Michael, Poloniæ Rex, turpem pacem cum Mahumede IV. jurare ſtatuiſſet, experta iterum eſt reſpublica, quàm opportunè Pontificis pietas decori ſuo, libertati, atque ſaluti, conſuleret. Non ſemel, nec bis, Polonis indecoram polono nomini pacem inculcavit, & quà ſcripto, quà voce, per Franciſcum Bonviſium Nuncium ſuum, & Regi, & regni Proceribus, ſuum pro reipublicæ honore zelum demoſtrans, illos omnes ad meliora excitare conſilia contendebat. Nec ſolus contentus conſiliis amantiſſimus reipublicæ pater, ſummam quoque centum ferè & quinquaginta millium aureorum, quibus glorioſum bellum ſuſciperent, ac proſequerentur, generosè profudit. Tempore exinde Innocentii XI., ſanctiſſimæ memoriæ Pontificis, denuo reſpublica romani Pontificis amorem probavit; cùm contra Tartaros dimicans, quatuorcentum millia aureorum uno ſolo anno a pontificia liberalitate receperit.

Iſti ne ergo ſunt reipublicæ hoſtes, quos à republica retundendos exclamas? At Poloni non hoſtes, verùm hoſtium reipublicæ deſtructores fatebuntur illos eſſe, quos amantiſſimos ſemper experti ſunt reipublicæ Patres. Non minori autem pietate, nec diſpari zelo, ſanctiſſimus Clemens XI., ſi aurum non miſit, ut deſtruerentur extranei hoſtes, officia non omiſit, ut reducerentur ad bonum domeſtici reipublicæ de-

Digitized by Google

ſtructores. Non ſunt extrinſecùs bella, quæ a Pontifice repelli theſauris oporteat; ſunt tamen intrinſecùs, quæ auctoritate componi poſſunt: Et ſi nequit victoriam pontificia charitas Polonis parare, quia neminem ex Polonis uti hoſtem reſpicit, nititur ſaltem offerre pacem, ac promovere, quâ cunctos oſtendat uti filios amplecti velle, velleque ſervare.

Egregium exhibes, & reverâ te dignum, Polonis exemplar, quum Henrici VIII., Angliæ Regis, veſtigia ſectanda proponis! Apoſtatam ſcilicet impuriſſimum, qui a debita, ac ſemper præſtita romanæ Eccleſiæ obedientia defecit, ut liberiùs ſuis libidinibus indulgeret, catholicæ, ac pientiſſimæ reipublicæ imitandum proponis? Illis nempe hominibus, qui adeo ſemper romanis Pontificibus reverenter adhæſerunt, ut quam ab illis fidem priſcis temporibus acceperant, omnino ab iiſdem inſeparabilem poſteriori tempeſtate conſervarint? Acquieſcent ne dictis tuis Poloni, an eadem potiùs irridebunt? Quinimmo acriter indignabuntur, a te ſic malè habitos eſſe, ut eos homini perditiſſimo aſſociares. Cæterum Lutherus, & Calvinus, quamvis Henrici a romana Eccleſia defectionem ingenti excepiſſent plauſu, uſurpatum tamen ab eo Eccleſiæ primatum non probarunt. Calvinus audiatur in cap. 7. Amos Prophetæ. *Qui tantopere extulerunt Henricum, Regem Angliæ, certè fuerunt homines inconſiderati. Dederunt enim illi ſummam rerum omnium poteſtatem: Et in hoc me graviter ſemper vulneravit. Erant enim blaſphemi, cùm vocarent eum ſummum caput Eccleſiæ ſub Chriſto.*

At quod Lutherus, & Calvinus, & Henrico non laudarunt, ſummopere tu in illo commendas; & quod illi nullo jure Henricum feciſſe dixerunt, meliori jure tu

tu aſſeris effeciſſe. Ab eo utique tempore Anglicanæ Eccleſiæ libertas cœpit; rectiùs dixiſſes, ab eo ſanè tempore Anglicanæ Eccleſiæ libertas deſiit. Mutavit Patrem, mutavit Paſtorem, cui primùm obediebat ut filia, quem audiebat ut ovis; at in Tyrannum, ſi non etiam in Prædonem, cui in poſterùm turpiſſimè deſervivit. Libera a Patris imperio Eccleſia, tu dicis, quod libertatem inceperit: Nos contrà, ſub iniqui Principis tyrannide ſerva, dicimus quòd libertatem amiſit. Quænam profectò optabilior, quænam præſtantior, an quam perdidit, an quam acquiſivit? Doles denique, libertatem illam Anglicanæ Eccleſiæ in hæreſim poſtea degeneraſſe. Ita porrò oportebat, rem ſe habere. Oſtende, ſi potes, a romana Eccleſia defeciſſe quemlibet, & in hæreſim protinus non incidiſſe? Quodnam ſine hæreſi ſchiſma? Ab exordio utique ſchiſma eſt; at modico temporis interjecto hæreſis evadit. Plura de hoc addere, actum agere foret. Alia quæ imponis, expendamus.

An Anglicana Eccleſia gradum facis ad Gallicanam. At quæ pars fideli cum infideli? Gallicana Eccleſia ſuam ſanè tuetur libertatem, ſed non ea eſt, quam Anglicana, invitis ac reluctantibus Pontificibus, uſurpavit; quin potiùs ea, quam a munificè, & liberè tradentibus Pontificibus accepit. Gallicanæ Eccleſiæ libertas haud ſuper pontificii primatûs dejectione erigitur, ſed potiùs ab ipſomet primatu deſcendit. Innocentius III., Romanus Pontifex, epiſt. 3., Abbatibus, cæteriſque Eccleſiæ Gallicanæ religioſis viris hæc in ejuſdem Eccleſiæ commendationem, juriumque ſuorum confirmationem, ſcribebat. *Nos enim Vos, tanquam ſpeciales Eccleſiæ filios, per quos nomen Domini dignius & excellentius prædicatur, tantò am-*

amplius intendimus in veſtris neceſſitatibus adjuvare; quantò in majorem Eccleſiæ redundaret injuriam, ſi jura veſtra quorumlibet temeritate pateremur occupari.

Anglicana Eccleſia non priùs ſe liberam jactavit, quàm romanæ Sedis dignitatem de gradu dejicere, quamvis irrito conatu, pertentavit. Fatetur Gallicana Eccleſia Romani Pontificis primatum; agnoſcit catholicæ fidei unitatem in romana cathedra, velut in centro, collocari; ratum habet, ſummam poteſtatem gubernandi Eccleſiam univerſam, non penes Reges, ſed penes Pontifices, eſſe: *Abſit igitur*, Philippo Auguſto Francorum Regi, prælaudatus Innocentius Romanus Pontifex, ſcribebat, *ut vel Rex Francorum deſerat unquam romanam Eccleſiam, vel Eccleſia romana deſit unquam regno Francorum.*

Quid plorabit Petrus ad Galli cantum? Prophetam ultimo agis loco? Sed vaticinia tua errore ſunt plena. Omnes Galliæ Metropolitæ obedientiâ, quam ſemper romano Hierarchæ obtulerunt, romanæ Sedis fulgorem augebunt. Sorbona nugas tuas irridebit; & cathedram, quæ orthodoxæ fidei eſt magiſtra, quovis tempore venerabitur. Alexandrum IV. Romanum Pontificem audiamus, epiſt. 197. lib. 5. ad Epiſcopum Pariſienſem, verbis hiſce de Pariſienſi Academia magnificè loquentem. *Ex alto fuiſſe conſpicimus Civitati Pariſienſi proviſum, quòd honorificatâ decore ſtudii generalis, & tantorum univerſitate Scholarium illuſtratâ, præluceat Orbis civitatibus, orbemque lucidum reddiderit ſui luminis claritate. Ipſa quidem Univerſitas fons irriguus conſuevit eſſe virtutum, univerſale ſpeculum, mater ſtudere volentium, & magiſtra ſcientiarum, ad ſingulos dona derivans, cunctoſque illuſtribus radiis doctrinarum clarificans.*

Indi-

Digitized by Google

Indica, ſi vales, quid unquam in fide, aut in moribus, romana cathedra definierit, & cujus contrarium Sorbona decreverit? Demonſtra, ſi potes, quam in fide, aut in moribus, definitionem a romanis Pontificibus, e cathedra loquentibus, factam, ambabus manibus Sorbona non receperit? Nos ex adverſo oſtendimus, Sorbonam non ſemel aut bis, ſed ferè centies & millies, romanæ cathedræ magiſterium imploraſſe, ut in iis, quæ fidei, aut morum ſunt, ſuis definitionibus erudiretur. Quotidie Gallicanæ Eccleſiæ Præſules Romam invocant, ut de novis opinionibus judicium ferat, ut libros recenter exortos ſuo ſubjiciat examini, ut auctoritate ſuâ compeſcat, quemadmodum habet ſuo magiſterio edocere, peregrina ingenia, quæ aut fidei puritatem labefactant, aut morum diſciplinam enervant. Privilegia denique non legum imbecillitatem oſtendunt, quum ab illis cōceſſa comperiuntur, a quibus ipſæmet leges promanarunt. Municipalia jura, a Pontificum auctoritate in Gallia firmata, non juris canonici inanitatem in propatulo ponunt, ſed ejuſdem juris ut rationabilem, ita & legitimam diſpenſationem evincunt. Hoc non eſt pontificiam poteſtatem evertere, ſed fateri.

§. XXIII.

EPISTOLA.

QUæ cùm ita ſint, quid ceſſamus nobis conſulere? Quid nobis liceat, expoſitum eſt; quid „ conducat, deliberandum. Monſtravit viam

„ major Polonia, cùm in Conventu nuper manife-
„ ſtaſſet Scrodienſi, moveri ſe contumeliâ curiæ ro-
„ manæ, moveri ſe reipublicæ fato, ultimum ferè
„ ſpiritum jam agentis. Legamus hæc veſtigia tam
„ laudabiliter incepta, donec a cervicibus noſtris
„ eam, quæ paratur, depellamus ſervitutem. Indi-
„ cavimus, quibus cauſis moti fuiſſemus ad abdican-
„ dum Regem, qui jura reipublicæ peſſundare eſt
„ adortus. Manifeſtemus pariter toti orbi nos coa-
„ ctos eſſe eadem defendere contra curiam roma-
„ nam, tam protervè eam impetentem. Oſtenda-
„ mus, non adeo fatuos eſſe Polonos, ut præſtigias
„ illas, quibus ineptientem orbem, & ignorantiæ
„ tenebris adhuc immerſum, curia romana dementaverat, vereamur; aut vana iſta terriculamenta,
„ quibus credula plebs movetur, expaveſcamus. Nu-
„ demus artes ejus, quibus contra mentem Chriſti,
„ contra ſalutem generis humani, dominium ſibi in
„ chriſtianum populum aſtruxerat. Si territat, ter-
„ reamus nos viciſſim. Sic enim quod vibraverit ful-
„ men, aut innoxium tranſibit, aut in ipſius caput
„ recidet. Eodem jure nos Epiſcopos, & Senatores
„ Poloniæ, poteſtate ejus exolvemus, quo Pontifex
„ illos ab obligatione, quâ patriæ adſtringuntur,
„ prohibere auſus eſt. „

RESPONSIO.

Congeris hìc plurima, polono nomini injurioſa, omnia autem calamo tuo digna, quem unicè impudentiæ & mendacio devoviſti. Fatuiſſimos quidem Polonos eſſe credes, ſi illos præſtigias tuas haud quaquam agnoſcere, arbitraris. His porrò non Polonos

Digitized by Google

nos tantùm, ſed cæteros quoque catholici orbis homines cogeris dementare. At fruſtra verbulorum fuco, quibus Epiſtola tua abundat, ea obnubilare niteris, quæ jam luce ipsâ facta ſunt clariora. Haud nudare te artes, quibus dominium ſibi Pontifices vindicarunt, nullo quidem negotio Poloni obſervant; ſed artes potiùs nudant ipſi, quibus tyrannidem tu Pontificibus imponis. Et juxta Chriſti mentem, & pro humani generis ſalute, divinitus conſtitutum in Apoſtolica Sede primatum, multis in ſuperioribus oſtendiſſe, contenti ſumus. Nolumus hîc textam telam iterum texere, quamvis tu nuſquam dictum dicere ſatieris; adeout ſtomachum nobis, bilem autem forſan aliis moveas.

Sed quouſque tandem dementia tua progredietur? Jus illud idem, quod in Pontificibus cum Epiſcopis, & Poloniæ Senatoribus, ferre nullatenus potes, aſſeris, vel tibi, vel iis, quos ad te trahere ſtudes: Adeout eâdem prorſus lege, quâ illos à Pontificibus removes, Pontifices, non a Patria, ſed a Patriæ diſcrimine, abducas. Epiſcopi exinde, ac Poloniæ Senatores, pontificiâ poteſtate ſoluti, quòd quidem charitati tuæ debebunt, magiſne Patriæ adſtringentur? Simultatibus potiùs, domeſticis contentionibus, diſſidiis inteſtinis, privatiſque affectibus, eos exolvere oportebat, ſi Patriæ ſtrictiores, patriæque libertatis amantiores exoptabas. Hoc curavit ſanctiſſimus Pontifex, hoc præſtitit. At tu, quam exercuit Pontifex auctoritatem, ad Reipublicæ calamitates ſublevandas, tyrannidem appellas; quam perduellionem ſuades, ad Eccleſiæ ordinem pervertendum, libertatem inclamas. Deus bone! Quàm peſſimè Polonorum diſcordiâ abuteris! Exterarum

 gen-

Digitized by Google

gentium livori haud ſatis fuit, hinc hæreticis, inde ſchiſmaticis copiis, integras Poloniæ provincias devaſtare, niſi etiam ulterius auderent, fallaciis Polonorum mentes decipere, maledictis Polonorum animos infamare!

Vaticani fulmen Polonorum Religio eô veretur magis, quô nec illud retundere ſe poſſe novit, nec in fulminantis caput vibrare. Non equidem vana illa terriculamenta putat, quibus ſola plebs credula moveatur. Ut ſolvendi poteſtatem Petri clavibus ineſſe agnoſcit, ita & ligandi auctoritatem non deeſſe fatetur. Novit Boleslaus II., Poloniæ Rex, quàm timenda catholicæ Religionis arx cunctis gentibus ſit, quum in romanis mænibus, ad inobedientium Principum perfidiam, perfidamque contumaciam retundendam, armatur. Novit Jacobus Uchanſcius, qui primùm ad Uratislavienſem Eccleſiam, invito Paulo IV., promotus; mox ad Gneſnenſem translatus, Pio IV. permittente; a Gregorio XIII. coactus eſt errorum veniam impetrare, ne propoſitas ab eo pœnas experiretur. Novit Dux Maſoviæ, Conradus, a Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſi diris devotus, quòd Cracovienſis Epiſcopi prædia diripuiſſet, & incendiſſet. Novit demum, ut cæteros prætereamus, Henricus IV., Uratislavienſis Dux, cognomento probus, re autem improbiſſimus, quòd in Thomam Epiſcopum immaniter inſæviſſet, a Jacobo Svinca, Archiepiſcopo Gneſnenſi, communione chriſtiani populi excluſus, ac truci anathematis fulmine percuſſus. Hæc ſunt Vaticani fulmina, eò magis veneranda, ac timenda, quòd non ſolùm corpora feriunt, ſed animas etiam penetrant.

§. XXIV.

Digitized by Google

§. XXIV.

EPISTOLA.

APplaudet Orbis inceptis noſtris, laudique nobis tribuet, quòd jura omnium Populorum ſimul
„ aſſertum eamus. Cauſa enim generis humani agi-
„ tur, cum illa tueamur, abſque quibus non Reſpû-
„ blica ulla, nullum regnum poteſt conſiſtere. Di-
„ ſturbabuntur ſimul Auguſti Regis machinationes,
„ qui cùm plagis Reipublicæ dentes aliter infixos
„ tenere nequeat, incitamenta furoris a Curia roma-
„ na petere voluit. Eſt enim immanis iſtius animi,
„ quem in Rempublicam Polonam ſemper habue-
„ rat, ſignum evidentiſſimum, quòd cum ipſe ever-
„ tere Rempublicam non poſſet, eam Pontifici Ro-
„ mano convellendam traderet. Eſt quoque mani-
„ feſta Beatiſſimi Patris crudelitas, quòd Regno fidei
„ catholicæ addictiſſimo, Tyrannum, & oppreſſo-
„ rem Regem, conſervare cupiat; ut ſimul iniquiſſi-
„ mam in nos conſtabilire valeat dominationem. Mi-
„ ram animorum in utroque conſpirationem vide-
„ mus: Alter mortifero nos ferro, ſpirituali alter
„ gladio nos oppugnat; uterque diſſidiis noſtris nos
„ conficere laborat. Sed eludentur utrinſque conſi-
„ lia, ſi quam ingreſſi ſumus, viam inſtituamus. Cùm
„ Regem habeamus electum, indigenam, fortem,
„ moderatum, libertati aſſuetum, morumque Polo-
„ norum gnarum, & amantem; quare non feſtina-
„ mus diadema capiti ejus imponere, ſub quo ſciſſa
„ coëat Reſpublica, & tot annorum cladibus exhau-
„ ſta quietem aliquando obtineat deſideratiſſimam.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

LOndinum applaudet, applaudet Amſtelodanum, applaudet Genæva, laudique ſimul ac gloriæ Polonis tribuent, ſi a ſeipſis incepta Poloni proſequantur. Cauſa veſtra agitur, pro qua, tanquam pro aris & focis, decertatis. Auxiliarios quæritis, & cùm ob cauſæ meritum invenire non poſſitis, vultis ſaltem fraudis reticulo aucupari. Jura heterodoxarum gentium ſola ſunt, quæ omnibus populis aſſerta canis; & ſine quibus cùm tot tantaque regna conſtanter maneant, cùm tot tantæque reipublicæ feliciter gubernentur, ſolos Polonos, nec conſiſtere, nec regi poſſe, arbitraris. Steterunt jam regna illa, quæ modò ſine juribus hiſce haud ſe ſtare poſſe mentiuntur, ſteterunt jam tot tantiſque, non equidem annis, at ſæculis, quum ſcilicet effrænis vivendi libido, immoderata rerum eccleſiaſticarum cupiditas, indigna pontificii ſplendoris ambitio, non perculerant adhuc animos illorum, qui ea antea conſtituebant, aut ipſa moderabantur. At quum ventum eò eſt, ut divina cum humanis, profana cum ſacris, confundi vellent, omnem ſibi arripientes poteſtatem, adeo eam ſibi firmiter conſervare, atque defendere mordicus aggreſſi ſunt, ut ſine illis non rempublicam ullam, nullum regnum, poſſe conſiſtere, inconſultò quidem ac temere aſſeverarent.

Quid blateras? Sanctiſſimo Pontifici Rempublicam convellendam Auguſtum Regem tradidiſſe? Quam a Deo Romanus Pontifex poteſtatem accepit, a Regibus non emendicat. Non hæc ſanè fuerunt auctoritatis initia, quam erga Polonorum Rempublicam Romani Pontifices exercitarunt; nec prima charita-

tis

tis indicia, quibus erga eandem paternam probare ſollicitudinem ſtuduerunt. At hoc quoque vaferrimæ dicacitatis tuæ teſtimonium eſt; ut ſcilicet exoſum Polonis ſanctiſſimum Pontificem redderes, illi aſſociatum dicere voluiſti, quem Reipublicæ oppreſſorem elatâ voce declamas. Nec ſatis tibi fuit, Pontifici invidiam ex tyrannica in catholicum orbem dominatione, quam illi imponere non es veritus, iniquiſſimè conflare, niſi etiam odium ex tyrannidis conjunctione, quam in Regem audebas opponere, accendiſſes.

Haud quaquam ſpirituali gladio in præſenti Reipublicæ diſcrimine Polonos Pontifex oppugnat. Ab ſit hoc ab eo, qui gladium illum ad ædificationem bonorum, ad malorum verò deſtructionem, exercet. Quin potiùs Polonos tuetur gladio, quem pro polonicæ fidei puritate,& pro totius reipublicæ incolumitate, tractat. Si diſſidiis ſuis Poloni ſeipſos conficere laborant, non hoc Pontifici tribuendum eſt, qui laborat ipſorum diſſidia conficere. Si pacem e Republica exulare dolent, illis imputent, qui Patriæ incendia privatis flammis excitare non verentur. Pontifex autem clementiſſimus in eo totus ſemper fuit, ut diſtracta Reipublicæ membra ſub uno capite colligaret, ipſumque diviſum regnum membrorum unione componeret.

Regnum catholicæ fidei addictiſſimum Poloniam fuiſſe, atque etiamnum eſſe, illos omnes fateri oportet, qui Polonorum facta, aut vetuſta, aut recentia,cognoverunt, ipſorumque hiſtoriam vel etiam a limine ſalutarunt. At quia fidei catholicæ addictiſſima Polonia eſt, nunquam profectò a romana Sede, in qua catholicæ fidei cathedram recognoſcit, compe-

pe-

Digitized by Google

periculum receſſuram. Nullum tamen, aut oppreſſorem, aut tyrannum, in ſibi addictiſſimam rempublicam tentavit Pontifex conſervare; nullam in ea iniquiſſimam ſtabilire dominationem. Conſervare is ſolùm nititur quod Poloni fecerunt; & tandiu conſervabit, quandiu conſervationem a Pontifice merebitur ille idem, qui a Polonis meruit electionem.

Regem Poloni haberent indigenam, fortem, moderatum, libertati aſſuetum, morumque Polonorum gnarum, & amantem, ſi hunc Regem a principio unanimiter elegiſſent. An eos objurgaſſet Pontifex, ſi tunc eligere voluiſſent, quum liberum ipſis erat eligere? Minimè gentium. At elegiſſe modò, quum alterum Regem habent, jam pridem legitimè electum, a tota Republica ſalutatum, a provinciis omnibus acclamatum, quinimmo voce, ſcripto, armis quoque defenſum, nequit profectò Pontifex approbare; niſi apertiùs de illius excluſione conſtet, quem Poloni primitus indigenæ, forti, moderato, libertati aſſueto, morumque Polonorum gnaro, & amanti, prætulerunt.

Nullam proinde in animo Pontifex habuit alteri, quem intempeſtivè elegerunt, injuriam irrogare. Virtutem ejus amat, pietatem commendat, zelum extollit, & paterno, quo Polonos omnes amore proſequitur, peculiaribus quoque titulis amplectitur illum, quem tot eximiæ dotes ſupra univerſos exornant. At non Electi, ſed electionis obſtacula ſunt, quæ nequeunt ab amantiſſimo etiam Pontifice ſuperari. Digniſſimum proinde fatemur Electum, at modò importunam reputamus electionem. Cùm ergo electionis vitio haud legitimè electus habeatur, poterit ne jure, an injuriâ Pontifex, quem priùs Poloni ele-

ge-

Digitized by Google

gerunt, quem Reſpublica ſalutavit, quem ipſemet agnovit, rationabili quacunque causâ minimè exiſtente, poſthabere, ut alium cum Reipublicæ ſchiſmate electum, a non exiguo Procerum numero oppugnatum, cum illius, qui electus antea ſupponitur detrimento, recognoſcat.

§. XXV.

EPISTOLA.

Quiſquis hunc finem remoratur, Polono nomini inimicus eſt, & hoſtis; ac proinde hoſtili more „ tractandus. Non eſt Paſtor ovium, qui ovi„ le lupo prodit rapaciſſimo. Non Vicario Chriſti „ nos ſubtrahimus, ſed hoſti apertiſſimo, qui cùm ſa„ lutem noſtram deberet optare, nobis ultimam pe„ ſtem & iterum accelerare pergit. Erunt cordati ac „ prudentes Antiſtites, qui ſat animi habebunt ad „ juſſa Reipublicæ obeunda, nec fulgur ex pelvi for„ midabunt. Oſtendit Eminentiſſimus Primas, ſe ma„ jori eſſe fortitudine, quàm ut minis Pontificis ſe „ terreri ſinat. Quid igitur æquius eſt, quàm ut cum „ ipſum, tum reliquos ſacri Ordinis ab inſulto Curiæ „ romanæ protegamus, opponendo minas minis, & „ tela telis? Si ſeriò rem aggrediamur, vaticinor „ Cœlum Latium brevi ſudum fore, & rauca iſta to„ nitrua in leniorem deſitura ſonum. Procul dubio „ leviùs iſta ferient, quàm Regis Svecorum arma, „ quæ eò graviora in dies ſentiemus, quô diutiùs illa „ in ſinu dulciſſimæ Patriæ retinebimus.

RESPONSIO.

INimicus & hoſtis Polonis erit, qui contra Polonos non armabitur; tu verò, qui quà exemplis, quà ratiociniis, quà conſiliis, Polonorum diſcordiam aut æternam facere niteris, aut in deteriorem vis commutare, arctiſſimis amicitiæ vinculis iiſdem probaberis adſtrictiſſimus? Non ſat tibi eſt Polonorum Reipublicæ membra nobiliſſima adeo abs ſe invicem diſſita abire, ut civile corpus quodque pro parte dilaceret? Nec tibi etiam ſufficit Rempublicam ipſam adeo ſibi inimicam contra ſe dimicare, ut capitibus duplicatis aut monſtruoſam reddere ſe velit, aut capite ſe facere diminutam? Cupidè inſuper exoptas, membra illa nobiliſſima, præclarum corpus conſtituentia, ſemper catholicæ fidei addictiſſima, orthodoxæ unitatis zelantiſſima, erga Apoſtolicam Sedem obſervantiſſima, a fide, ab unitate, ab obedientia revocare, ut demum hæreſi tuæ cedant, quæ primitus tuo adhæſerint ſchiſmati.

Maximo equidem diſcrimini Polonorum libertas ſubjacet; non minori patebit, ſi te ſcribentem audient, Polonorum religio. Hæreticorum enſes jam pridem provincias laceraverant, modò autem calami animas feriunt. Contra libertatem pugnat manifeſtus gladius, contra religionem palliatus calamus. Illius ſentiunt vulnera, ſed feritatem facilè deprehendunt; hujus verò ſi calliditatem non detegunt, vulnera non vitabunt.

Igitur Paſtor ovium non erit, qui conatur errantes oves reducere ad caulam? Igitur Mercenarius erit, qui ad unum ovile abſe invicem diſſitas oves nititur

titur

titur revocare? Fortaſſis is erit Paſtor, qui illas a Paſtore avertit, ut non uni, ſed plurimis prodat lupis rapaciſſimis? Hic nimirum oves ab ultima revocat peſte, quam illis accelerat Paſtor? Hic illarum optat ſalutem, quarum Paſtor intendit interitum? Commendandus quidem zelus tuus, ſed ab iis tantùm, qui tecum ſuperſtitione conjuncti, zelum appellabunt, qui ſanè non eſt, quàm in romanam fidem infenſi animi turpiſſimus livor, & in catholicam veritatem perditæ mentis error irrevocabilis.

Cordati verò ac prudentes Poloniæ Antiſtites, qui ſat animi habent, & ad Religionis jura tuenda, & ad juſſa Reipublicæ obeunda, fulgur quidem ex pelvi tua non formidabunt. Agnoſcet profectò, quà conſilio, quà ſcientiâ, quà pietate, Viri illi clariſſimi, aſtutiſſimam vulpem, quam ſub pectore ſervas, & ſubdolis verbis tuis, quibus eos, ſub libertatis ſpecie, ſacrilegos vis reddere, indignabuntur haud dubiè de opinione, quam ſtultiſſimè de eis animo concepiſti. Quis non videt, te iniquiſſimis modis egiſſe cum Polonis Præſulibus, adeo in religionis zelo, ac in fidei puritate benemeritis, ut paucos in catholico orbe pares habeant, ſuperiorem fortaſſis neminem; quum eos ita hebetis mentis homines, inſtabiliſque animi, reputaſti, ut mendaciis tuis, nugiſque frigidiſſimis, moveri ſe vellent?

Illi ſcilicet Antiſtites, qui omni tempore erga apoſtolica Sedem, quam ſolam catholicæ Religionis arcem eſſe agnoſcebant, ſe probarunt obſequentiſſimos, ſuæque obſervantiæ toti orbi clariſſima exhibere teſtimonia contenderunt. Eccleſiaſticam Poloniæ hiſtoriam ſat eſt ſi ſemel oculis uſurpemus, ad certo certius comperiendum, Polonorum Præſulum

qualis quantuſque fuerit, vel erga Petri cathedram amor, vel pro Chriſti Eccleſia zelus. Ut Friderico Imperatori, apoſtolicam Sedem oppugnare molienti, Innocentius IV. occurreret, Poloniæ Epiſcopi, in Uratislavienſi Concilio congregati, ann. 1247., ſuppetias obtulerunt; Jacobo, Leodienſi Archidiacono, & Pontificio Legato, promittentes quintam partem reddituum Eccleſiaſticorum ex tota Polonia in triennium, ac promiſſam inſuper pecuniam præerogantes. Non diverſimode, cùm contra Saladinum Clemens III. arma pararet, in Concilio Lancienſi, ann. 1188., a Poloniæ Epiſcopis ac Sacerdotibus actum eſt. Quod inſuper, cùm Gregorius XI. contra Amuratem, Turcarum Imperatorem, ſe muniret, in Concilio Uniejovienſi, ann. 1375. renovarunt.

Ut verò Lutheranam peſtem a Republica averterent Poloni Antiſtites, avitæ Religionis conſervatione flagrantes, mirum eſt quot Concilia coegerint, ac in illis pro fidei puritate, pro morum reformatione, quàm ſalutaria decreta condere contenderint, & promulgare? Itaque cùm Romanorum Pontificum vigilantiæ in primis debeatur, quòd polona gens ex hæreticorum hominum congreſſu peſtilentem illam non contraxerit luem; Epiſcopis poſtmodum tribuendum nemo non fatetur, quòd vel a paucorum animis depulſa labes fuerit, vel in cæterorum mentibus graſſari non pertentarit.

Horum ſanè virtuti, pietati, zelo, Epiſcopi qui modò Poloniæ Eccleſiis præſunt, ex æquo reſpondent; nec tu comperies unquam, quæcunque dixeris, vel inconſultè in fidem, quam profitentur erga romanam cathedram, vel fraudulenter pro libertate, quam tenentur pro Patria tueri, eos a majorum ſuorum

rum

rum ſemita, nec in minimo quidem degeneraſſe. Quin immo perturbati ſunt prorſus, ob Epiſtolæ tuæ inſolentiam, zelantiſſimi Præſules; & amodo eos videbimus ejuſdem tuæ Epiſtolæ errores, quà voce, quà ſcripto, confutantes, ut folia igni confeſtim tradere voluerint.

Eminentiſſimus Primas, ampliſſimæ dignitatis memor, & paſtoralis muneris ſollicitus, amantiſſimi Patris minis flecti, quàm hæreticorum hominum conſiliis frangi, ſatius eſſe judicavit. Hinc pontificiis literis acceptis, in meliora ſe vertere illico conſilium inivit; ac Pontificis prorſus morem gerere voluit, ne vel fœdâ inobedientiâ purpuræ ſplendorem obſcuraret, vel cæcâ obſtinatione aut paſtoralem ſanctitatem, aut Primatis dignitatem, deturparet. Tu autem quicquid ſcribis, a veritate alienum ſcribis; nec ſolis mendaciis contentus, conviciis inſuper audes ampliſſimis viris probra imponere, eoſque fabulis putidiſſimis infamare. At nec Epiſtola tua juſtiſſimum effugiet Eminentiſſimi Principis rigorem, quo quidem oſtendet, haud impunè Principibus crimina imponenda, nec maledictis ſacros Eccleſiæ Antiſtites impunè proſcindendos eſſe.

Nos denique, niſi vulnus tuum chironicum eſſet, pergeremus quoque tibi medelam qualencunque admovere. Sed te remedii inimicum prodit, quòd morbum volueris alienâ perſonâ occultare. Deſine igitur te larvâ contegere, & nobis viam aperi, ut tecum facie ad faciem dimicemus. Ex hoc duo provenient bona: ſcilicet, & quòd non amplius contumelioſum ſtigma Polono nomini imponas, & quòd ego cum hæretico dumtaxat agens, non ſubeam ulteriùs curam ſeparandi hæreticum a catholico, quorum alterum

rum

Digitized by Google

rum ut injuſtè traducis, ita & ambos iniquè confundis.

Si quę nobis opponis tibi vera probantur, cur eadem non audes proprio nomine opponere? Sin minùs, quare & mentem ab illis non revocas, ut ad moves nomen? Si ſequi non pudet, cur publicare erubeſcis? Si publicare metuis, cur ſequi placet? Veritas nuda eſt, nec fucum adamat, nec larvam induit. Qui verò illam exornat, lædit; qui tegit, occidit. Attamen ſi nuda, eò pulchrior eſt cunctis, quæ vetuſtatis opinione inter homines emicant, quò ſimplicior omnibus; non ornamentorum apparatu, ſed naturalis elegantiæ ſplendore, omnium animos ad obſequium incitat, & amorem. Hinc Auguſtinus epiſt 9. Hieronymo ſcribebat; *incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum; pro iſta enim fortiùs noſtri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illa illi Heroes adversùs Trojam dimicaverunt.*

Alienum ergo nomen depone, vel ſi deponere non vis nomen, quæ nomini reſpondeant, conſilia ſaltem imitare. Indecorum eſt ſanè catholicum nomen fingere, & hæreticos ſenſus hinc animo enutrire, inde calamo prodere. Non equidem appellatio manifeſtat hominem, ſed operatio. Nec facilè credunt homines nomini, quod quiſque poteſt nullo negotio ementiri, ſed facto, quod verax animi index, mentiſque haud falſum probatur eſſe argumentum.

Nos tamen Deum Optimum Maximum diuturnis precibus flagitare non ceſſabimus, quouſque tandem fiat, ut a te ſuperſtitio verè deſeratur, ſicut modò ficte ſuperſtitionis nomen exuiſti. Quod ſi hoc votis noſtris, divinâ ſic opitulante clementiâ, reſpondebit, uberior profectò fructus erit, quem tu ex Epi-

ſtola

Digitized by Google

ſtola tua colliges, illo, quem Polonos ex eadem ſperabas fore collecturos. Et ſi nos mala, quæ Epiſtola tua Polonis minabatur, a Polonis non avertimus; quòd eadem, avitæ pietatis inſtinctu, ac propriæ religionis zelo, ducti, abſque noſtræ reſponſionis adjumento, jam deprehenderant; a te ſaltem avertiſſe contenti ſumus.

F I N I S.

Digitized by Google